NUMISMATA PONTIFICUM ROMANORUM,

Aliorumque

ECCLESIASTICORUM,

Rariora & Elegantiora:

Ex

CIMELIARCHIO

REGIO-ELECTORALI BRANDENBURGICO,

Selecta,

Æreque expressa, & Dialogo illustrata,

à

LAURENTIO BEGERO,

AUGUSTISSIMI REGIS BORUSSIÆ, ET ELECTORIS BRANDENBURGICI, Consiliario ab Antiquitatibus & Bibliotheca.



COLONIÆ BRANDENBURGICÆ,

Typis ULRICI LIEBPERTI, Typographi Regii.

MDCCIV.



AUGUSTISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO I.

REGI BORUSSIÆ

GLORIOSISSIMO:

MARCHIONI BRANDENBURGICO:

SACR. ROM. IMP.

ARCHICAMERARIO ET ELECTORI:

SUPREMO ARAUSIONUM PRINCIPI:

MAGDE-

MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ, MONTIUM, STETTINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM, IN SILESIA, CROSNÆ

DUCI:

BURGGRAVIO NORIMBERGENSI:

PRINCIPI

HALBERSTADII, MINDÆ ET CAMINÆ:

COMITI

HOHENZOLLERANO, MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, LINGÆ, MOERSIÆ, BURÆ ET LEERDAMI:

MARCHIONI

VERIARUM ET FLISSINGÆ:

DOMINO

IN RAVENSTEIN, NEC NON TERRARUM LAUENBURGI & BUTOW, ARLAIÆ ET BREDA: &c. &c. &c.

Domino meo longè Clementiſſimo.

P*Atere REX AUGUSTISSIME, ut, qui hactenus* antiquas C*IMELIARCHII* T*UI* Gazas *juſtis Voluminibus publicavi, nunc, ubi de* Modernis *agitur,* U*NICA, quam cernis, Operis non minus magni,* S*ECTIONE* T*e devenerer.* S*ECTIONEM UNICAM affero, ſed ex qua* ditisſimi Tui Theſauri *copia clariſſimè elucet; Quis enim, ubi tot rariſſima* P*ONTIFICUM, aliorumque* E*CCLESIASTICORUM, Numiſmata, ex reliquorum acervo, ſeligi potuiſſe viderit : Quis, inquam, eſt, qui non ſimul*

ſimul judicet, non minorem numerum etiam in reliquis effulſurum? Tantis ſanè, & tot, rariſſimorum Numiſmatum ex Gemmulis, Corona hæc concinnata eſt, ut ejusmodi SECTIONES *adbuc* NOVEM, *ex ſolo ſelectu, conceperim. Sequi poſſunt*

SECTIONE II. Numiſmata IMPERATORUM, & REGUM ROMANORUM.

SECTIONE III. Numiſmata REGUM HISPANIÆ, GALLIARUM, & NAVARRÆ:

SECTIONE IV. Numiſmata REGUM ANGLIÆ, DANIÆ, & SUECIÆ.

SECTIONE V. Numiſmata REGUM BORUSSIÆ, POLONIÆ, BOHEMIÆ, & HUNGARIÆ.

SECTIONE VI. Numiſmata ELECTORUM SECULRIUM.

SECTIONE VII. Numiſmata DUCUM, & PRINCIPUM.

SECTIONE VIII. Numiſmata COMITUM, & ILLUTRIUM.

SECTIONE IX. Numiſmata URBIUM.

SECTIONE X. Numiſmata NATALITIA, NUPTIALIA, CORONATIONUM, PRÆLIORUM, PACIFICATIONUM, &, quæ finem vitæ ob oculos ponunt, EMORTUALIA.

Hæc Ego vel præcipuè recordor: & ut indies recorder, infirma corpuſculi mei ſanitas me monet. Arbori ſimilis ſum, quæ carie exeſa, non amplius pleno virore ſuperbit; ſed vix aliquot ramuſculos generat, indices, utut adhuc viventis, languentis tamen in trunco ſpiritûs. Ita affectum non tantùm fatum terrenorum commune movit, de quo Poëta:

Vitæ ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam;

Sed & Exemplum MORELLII, *qui, dum* magnum Opus *Orbi Literato pollicetur, morte interceptus, ejus nihil*

nihil dedit. Cautius igitur agendum censui, itàque subducendas rationes, ut quandocunque suprema advenerit hora, tamen, si non magnum Laborum meorum volumen, minimùm exigua quædam Operis, sanè non exigui, pars superesset, & Gloriæ Tuæ indicium, & voluntatis meæ monumentum. Voluntatis, *inquam,* meæ; *Si enim divina Majestas mihi vitam & vires dederit, persequar institutum, &, Sapientis illius instar, per partes agam, quod simul me posse desperaveram.* PRIMA *hæc* SECTIO *reliquarum specimen esto! Esto & Gloriæ Tuæ Tubicen, AUGUSTISSIME REX! Discat Eruditus Orbis, Cimeliarchio Tuo in Regio eâdem copiâ asservari* NUMISMATA MODERNA, *quâ nuper didicit, asservari* ANTIQUA! *Miretur TE HERCULEM, qui, ut in Urbibus hosti ereptis, ita & hîc, Cornu Acheloo avulsum non abjicis, sed Nymphis tradis, &* FLORIBUS IMPLENDUM, & COPIÆ SECUTURÆ NUNCIUM.





HActenus antiquos lustravimus artis honores,
Quas Romæ splendor, quas ardens Græcia Gazas
Intra Brennonici jactat penetralia Cœli.
Nunc nostris propiora annis: (nam non minor horum
Copia se tollit) simili tentabimus ausu.

Ita in Cimeliarchio Regio, laborum suorum eventu exultans DULODORUS, cùm post editos REGIQUE PRUSSIÆ AUGUSTISSIMO, sub adventum Regium, humillimè oblatos, suos in antiquitates Regias cum *Archæophilo* Dialogos, mandatum *de vulgandis etiam Numismatibus Modernis* accepisset.

Audiit loquentem, qui fortè advenerat, NEARISTOZETUS: Et illicò, cùm humanissimè hunc compellasset, optatâque comitate ab eo fuisset exceptus: Faventibus, exclamavit, ut video Diis, Berolinum ingressus sum; Nihil enim magis mihi in votis erat, quàm ut *Numismata* Cimeliarchii Regio-Elect. Brandenburgici *Moderna* mihi liceret inspicere: Et ecce! Te offendo, DULODORE, id idem molientem, & quidem tantò proniore voluntate, quantò majore mandato ad id agendum exsurgis. Beabis igitur eâdem felicitate, si placet, & me, quâ nuper *Archæophilum* in antiquis, cui ne concedere videar, dabo operam, ut non minore ἀκριβείᾳ etiam modernis lucem aspergendi tibi ansam præbeam, quàm nuper cum illo antiqua lustrasti: Id felicitatis meæ præmium sperans, ut & votis meis potiar, & simul eruditione tuâ perfruar. Eruditionis nomen, respondit DULODORUS, à me procul est. Voluntati autem tuæ libentissimè obsequor, certus, Tuâ experientiâ suppletum iri, quod mihi circa

antiqua hactenus occupato, in modernis adhuc deficit. His dictis cùm Scrinia reclusurus esset, NEARISTOZETUS, magnificentiam Conclavis contemplatus: An hoc idem est, interrogavit, quod nuper ad antiqua vulgasti? Nihil minus, respondit DULODORUS; Ab eo enim tempore REX NOSTER gloriosissimus, ut omnia dignô suâ Majestate splendore donat, ita & Antiquitatibus suis Augustius hoc domicilium tradidit, ut digno tantæ Gazæ conspectu patescerent, simulque Orbi Literato testarentur, quantis in honoribus ejus decora in *Aula Regio-Elect. Brandenburgica* essent: In *summis* videlicet, unde & summitatem Palatii sui REX AUGUSTISSIMUS iis attribuit, cubiculoque suo propinqua voluit, omnique artium, vel exquisitissimarum, paratu excoluit. Quæ ego non memorarem, nisi nobis Moderna contemplaturis commodè viderentur & ipsa novitatem traxisse. Sed ad Propositum! En series locupletissimas ex Auro, Argento, & Ære, eâ ratione ternis ordinibus adornatas, quâ & Antiqua tribus his Metallis censentur. Ab Aureis ordiri juvat, inquit NEARISTOZETUS; nam hæc, ut metallo, ita & pondere & numero præstantissima video. Pondere & numero, respondit DULODORUS, etiam Argentea & Ærea excellunt: Et illa quidem reliquis quàm maximè. Mihi autem metalla miscenda, unâque adeò serie instituto defungi, consultum videtur, id quod etiam in antiquis feci. Sed *à Jove Principium* ut sumant Musæ, etiam Ethnici suaserunt. Multò magis id nobis dictum erit, Christianâ veritate felicibus, ut videlicet & ipsi à Deo ordiamur. Tempus id monet; Hâc ipsâ enim horâ in *Sacello* REGIS *Aulico* Concio habebitur, quam negligere piaculum foret. Auditò *Sacelli Aulici* vocabulò, NEARISTOZETUS: justissimum hoc est, exclamavit, & si desideriis divinis humanas voluptates miscere liceret, id vel ideò libentius me facere profiterer, quòd Sacelli Regio-Aulici videndi & ipse cupidine ducar. Sed præi! Sequar. His dictis propositum aliquantisper distulerunt, occlusôque rursus Cimeliarchiô, Sacellum versus, gradum moverunt.





COelica Mellifluo divinus Doctor ab ore
Fuderat in sanctum Scripturæ semina cœtum.
Jamque preces, cantusque sacros, benedictio suavis
Finierat: jam dulce melos, clangorque tubarum,
More recedentem solitô demulserat Aulam.

Solus adhuc NEARISTOZETUS restabat, non, ut concionem audierat, attentus, & devotis ad Deum gestibus conspicuus; Sed hilaris, oculisque nunc huc, nunc illuc, avidè conversis, ut non obscurè colligeres, ornatu Sacelli eum mirificè delectari. Tandem cùm se relictum animadvertit, pudore victus, DULODORUM, qui cum aliis jam exierat, citatò gradu insecutus est, eique jam appropinquans: Heus, Amice! inquit, quid properas? Cultus Dei mihi fraudi non debet esse. Quin potiùs voti mei me compotem nunc futurum, eò certius confido, quò clarior divinæ gratiæ radius mihi animum refecit. Gaudeo, inquit DULODORUS; Sed concione finitâ non arbitrabar te diutiùs moraturum. Concione durante, respondit NEARISTOZETUS, à perorantis ore pependi, mentem cœlo intuleram: Eâ autem finitâ Sacellum contemplatus sum, quòd, simili occasione an rursus potiturus essem? mihi dubium videbatur. Et quid de hoc judicas? inquit DULDORUS. Regium esse, respondit NEARISTOZETUS, adeò Suggestûs artificiosa placuit structura: adeò Sedis Regiæ mirificus ornatus; sculpturarum picturarumque nitidissima variatio: Columnarum marmorearum excelsa sublimitas, ubi fidem omnem superat, tantas ex uno lapide inveniri potuisse. Quod natura negat, subjecit DULODORUS, id ars Regi nostro sufficit. Columnæ, quas vidisti marmoreæ non sunt; sed ex

Gypso

Gypſo confectæ; marmoris nitorem ex aſſe referunt, colores ſuperant. An autem & obſervaſti, unde Lux Sacello infundatur? Ex ſupremo vertice, reſpondit NEARISTOZETUS, idque Ego Sacello convenientiſſimum protinus agnovi, quòd lux hæc lucem divinam non incongruè referat, quæ & ipſa animis hominum cœlitùs infunditur. Rectè hoc, inquit DULODORUS. Illud autem juxta notandum, eòdem artificiò olim & *Pantheon* exſtructum fuiſſe, quod hodiè *la Rotonda* vocatur.

Hæc, & alia, dum inter ſe DULODORUS & NEARISTOZETUS colloquuntur, Cimeliarchio Regio rurſus appropinquârunt. Eò igitur reclusò cum Tabulas DULODORUS extraxiſſet: Commodè, inquit, Panthei modò mentionem fecimus. Romæ id hodiénum viſitur: Et ſtatim in contemplationis noſtræ exordio

NUMISMATA ROMANORUM PONTIFICUM

Se ſiſtunt. Numeroſa ſeries! exclamavit NEARISTOZETUS. Tantam ſanè apud REGEM RELIGIONIS REFORMATÆ non quæſiviſſem. Et quid? tot *Numiſmata* horum *Aurea?* tot *Argentea?* At Bonannus, qui poſt Molinetum Pontificum Romanorum Numiſmata ſtudioſiſſimè collegit, eumque in finem pleraque, ne dicam omnia, Principum Italicorum Cimeliarchia excuſſit, tot Aurea, tot Argentea in tota ſua Collectione non dedit. Plùra dedit ex Ære, excepit DULODORUS, & quidem ea ferè omnia, quæ hìc ex Argento cernis. Ego licet diverſitate metalli tempus terendum non arbitrer, tamen cùm Cimeliarchio Regio-Elect. Brandenburgico ea non parum gloriæ conciliatura ſit, & inſuper in Germania Bonanni Opus rarisſimè occurrat, variaque adhuc ejus dilucidationibus addi posſint, potiora quædam aſpergere non gravabor, in cæteris nihil daturus, niſi vel à Romanis omiſſum, vel diverſum, vel ſaltem interpretationis novitate memorandum. Bonannus, excepit NEARISTOZETVS, imò & ante eum Molinetus, Numiſmatum ſeriem à Martino V. orſi ſunt; At in Cimeliarchio hoc Regio, video & primorum temporum, LINUM primum, ANACLETUM primum, ANTIRUM primum & SYLVESTRUM primum: Et illos quidem in averſa cum duabus clavibus, inſcriptis CLAVES REGNI COELORUM; ſed hunc cum Effigie Chriſti in ſudario. Quid igitur cauſæ, ut hæc fuerint omiſſa? Suppoſititia ſunt, reſpondit DVLODORVS, nec ſeries inde continua fluit. Mihi nec à Martino V. ordiri placet; Nam Genuina tantùm producere animus eſt. Primum erit

NUMISMA AUREUM
PAULI II. VENETI,
Hinc
CONSISTORIUM PUBLICUM
inde
ULTIMUM CHRISTI JUDICIUM
adumbrans.



Duplici ſanè meritò hoc Tibi oſtendo. Non ob raritatem tantùm; ſed etiam, & vel potisſimùm, ideò, quòd *Alexander II. P. M. id Bogislao X. Duci Pomeraniæ, ex Terra Sancta reduci, ſimul cum Pileo Ducali & Gladio aureo donaverit.* Apud Bonannum, ni fallor, infit NEARISTOZETUS, imò & apud Molinetum, ſub Paulo Veneto, conſeſſum Cardinalium eâdem cum inſcriptione vidi, quâ & in propoſito, videlicet: SACRUM PUBLICUM APOSTOLICUM CONCILIUM PAULUS VENETUS P. P. II. Scio, inquit DULODORUS; ſed averſam, Judicium videlicet Chriſti ultimum, neuter expreſſit. Meminit quidem Bonannus ex Macro, apud Cardinalem Brancaccium aſſervati; ſed nec metalli meminit, nec vidiſſe videtur, cùm ipſe nummum ex ære fuſum, & à Molineto ſimili modò, id eſt, multis erroribus deformatum, publicare maluerit. Quod de erroribus memoras, inquit NEARISTOZETUS, non intelligo. Si fuſus eſt Bonanni Nummus, procul dubio ad prototypon erit fuſus; Sed non id, reſpondit DULODORUS, quod hîc vulgamus. Ubi enim apud Bonannum & Molinetum duo Angeli ſuprà Pontificem globis inſiſtentes, & ſertum tenentes? Intuere! Intuere & Cardinales ab utroque Pontificis latere! Intuere, & numera! Molinetus & Bonannus *quinque* à dextra & *totidem* à ſiniſtra habent; At in noſtro Numiſmate ſunt *ſex*, tam à dextra, quàm à ſiniſtra, quot & in Nummo Cardinalis Brancaccii cerni, ex Macro Bonannus fatetur. Res eòdem cadit, excepit NEARISTOZETUS. Numerus certus pro incerto videtur poni, quod vel inde patet, quia Cardinalium numerus ſæpè variavit, id quod Bonannus pluribus docet. Ego, reſpondit DULODORUS, myſterium ſubeſſe crediderim; Uti enim in averſa *duodecim*, procul dubio *Apoſtoli*, ab utroque Chriſti latere

primas tenent; ita & hîc duodecim Cardinales ab utroque Pontificis latere. An Consistorium suum, interrogavit NEARISTOZETUS, judicio Christi assimilaverit Paulus? Id ex nummo patet, respondit DULODORUS. Et quid mirum, cùm Christi Vicarios se Pontifices ferant? & secundum dicterium Pontificiorum, quod apud Panormitanum in cap. venerabilem de Elect. legitur: *Deus & Papa habeant unum consistorium*; Quanquam Paulo peculiaris in his ratio suffragetur. Justum, imò & juxta clementem, fuisse, Platinæ assertum est, cui fides eò major habenda, quò enormius ab eo læsus, iniquiorem aliàs calamum strinxit. Egregiam justitiam! exclamavit NEARISTOZETUS, cùm eòdem Platina teste, solo metu adactus, innocentes torturæ subjecerit, & licet innocentiâ detectâ, non tamen dimiserit, ne videretur errasse: Quæ cùm ita sint, nonne hîc arrogantiam crediderim concurrere, ut illud Paulus juxtà inculcaverit, *judicia sua cœcâ ratione admittenda, non minus ac Christi, nec de justitia eorum dubitandum; sed ut recte in aversa de Christo id fit, ita & de se dicendum: JUSTUS ES DOMINE, ET RECTUM JUDICIUM TUUM. MISERERE NOSTRI DOMINE, MISERERE NOSTRI!* Id sanè si dixissent & Platina & Abbreviatores, quos Paulus exauctoraverat, non incidissent in calamitates posteà secutas. Quicquid sit, inquit DULODORUS, Consistorii judicium cum judicio Christi extremo hîc conferri, ejusque justitiam commendari indubium est; Non enim placet sententia Molineti, qui ad illud Nummum restingit, quod Paulus Anno 1470. congregavit, ad quod etiam Legati Principum Christianorum, & præcipuè Italicorum fuerint admissi, quibus suaserit, ut cunctis sedatis discordiis in unum fœdus convenirent adversus Turcos, Epiro captâ jam in Illyricum irruituros; Hæc enim, licet historicâ fide nitantur, in Nummo tamen non apparent, Quidni? excepit NEARISTOZETUS. Annon duo illi viri, qui in Numismatis basi adstant, Principum Legatos credam? Nequaquam, respondit DVLODORVS. Potius *Servientes Armorum* credideris, nam Pontificis insignibus adstant, manibusque sceptra præferunt. Quod tu sceptra arbitraris, inquit NEARISTOZETVS, id sellam facit sculptor & Molineti & Bonanni; Neuter benè, respondit DVLODORVS. Inspicienti sanè sceptra obscura esse non possunt; manibus enim præferuntur: & si sellæ pars forent, altius deberent esse posita. At, inquit NEARISTOZETUS, Consistorium hoc ordinarium non fuisse, ex adjunctis honoribus patet, SACRVM vocatur, vocatur PVBLICVM, & vocatur APOSTOLICVM. Consistorium, respondit DVLODORVS, vel *solenne* est & *publicum*, vel *secretum*; Ita enim distinguit Bonannus ex Macro, aitque: *in secreto Cardinales tantùm, in publico autem etiam alios Aulæ Romanæ præsulum ordinis admitti, celebrarique ob insignem aliquam actionem, v. gr. cùm ad sacram purpuram aliquis promovetur & pileus datur &c.* Optimè hoc, excepit NEARISTOZETVS, indeque nec dubito, quin & huic Numismati insignis aliqua actio originem dederit. Bonannus, respondit DVLODORVS, ad decretoriam sententiam respicit, quâ ob Hæresis crimen, jure regni Georgius Bodiebratius, Bohemiæ Tyrannus, ut vocatur, depulsus est: adeò ut Paulus Pontifex rectitudinem suæ sententiæ, utpote post maturam ejus causæ discussionem, ac sententiis virorum omnium scientia insignium auditis, in Georgium latæ, expressò in aversâ Judiciò Christi, indicare voluerit. Probabiliter hoc, inquit NEARISTOZETVS; Quid enim aliud produci posset? Probabiliter, respondit DULODORUS; sed satis obscurè; Quid enim in Numismate hoc arguit? Quidni potiùs ad justitiam

tiam in genere reſpicimus? neque enim tantùm ob inſignem aliquam actionem Conſiſtorium Publicum celebrabatur; ſed & ob alias juſtitiæ diſcuſſiones. Res ex allegato à Carolo du Freſne, ex geſtis Innocentii III. P. P. loco clariſſimè patet. *Ter*, inquit, *in hebdomada SOLENNE CONSISTORIUM, quod in deſuetudinem jam devenerat, PUBLICE celebrabat, in quo auditis quærimoniis ſingulorum, minores cauſas examinabat per ſe, tam ſubtiliter & prudenter, ut omnes ſuper ipſius ſubtilitate & prudentia mirarentur.* Quicquid autem ſit, illud tamen meretur notari, qui Conſiſtorium hìc, judicio Chriſti extremo comparat, eâ die Conſiſtorium habuiſſe, quæ mortem ejus præceſſit; Ita enim Platina: *Pontifex ipſe apoplexiâ moritur, ſecundâ horâ noctis, ſolus in cubiculo, nemine vidente, cùm eô die lætus etiam Conſiſtorium habuiſſet.* An vindictæ divinæ hoc adſcribis? inquit NEARISTOZETVS. Non dixerim, reſpondit DVLODORVS: Licet ſublimis Pontificis & Thronus & Ornatus manſuetudinem Chriſti non imitentur. Sed laudatur etiam hoc in Paulo: *Fuit in homine*, inquit Platina, *quantum ad corpus pertinet, Majeſtas Pontifice digna; Erat enim magni ac vaſti corporis, adeò ut dum ad rem divinam proficiſceretur, ſolus emineret. Circa cultum corporis, etſi moroſus non erat, nequaquam tamen negligens habebatur. Fuére etiam, qui dicerent, Eum, dum in publicum prodiret, faciem ſibi fucis concinnare. De apparatu Pontificio non eſt cur ambigas. Majores ab hoc uno ſuperatos, REGNO præſertim, ſive MITRAM velis appellare, in quam multas opes contulit, coëmtis undique, ac magnis pretiis, adamantibus, ſaphiris, ſmaragdis, chryſolithis, jaſpidibus, unionibus, & quicquid gemmarum in pretio eſt, quibus ornatus tanquam alter Aaron in publicum formâ, humanâ auguſtiore, prodibat. Inſpici tam ab omnibus volebat & admirari.* Hactenus Platina, & ad ſimulacrum ejus, in Numiſmate coronatum, & ſublime, quàm appoſitè? Niſi Numiſina ſuffragaretur, inquit NEARISTOZETVS, Platinæ fidem ſuſpectam haberem. Idem, inquit DVLODORVS, docent & Ægidius Viterbienſis, & Cardinalis Papienſis, quorum loca Victorellus aſperſit: *Incredibili pretio*, inquit Viterbienſis, *emit ſacravitque Mitram maximam, inſolitô pretioſiſſimarum gemmarum pondere opplevit; quâ ornatus cùm prodiret, oculos omnium luce radiisque feriebat. Vocari cœpta eſt maxima illa Mitra REGNUM MUNDI, quam Paulus ſublimi faſtigio ſurgentem, regna pretio ſuperantem primus reddidit, primus lectiſſimarum gemmarum, toto orbe quæſitarum, luce exornavit. Ambitum trium coronarum; quarum uſus ex arcanis agnoſci ſolum poteſt.* Ad Cardinales reſpicio, inquit NEARISTOZETVS. Hos Pileis Cardinalitiis, quibus hodiénum utuntur, conſpicuos video: An autem habitus hic tantæ antiquitatis eſt? Eſt, reſpondit DVLODORVS. Pauli gratia enim & hac in re eminuit. *Ne ſolus differre à cæteris videretur*, inquit Platina, *publico decreto mandavit, propoſitâ pœnâ, ne quiſpiam* Bireta coccinea (*ita appellant capitis tegmen*) *præter Cardinales ferret: quibus etiam, primô Pontificatûs ſui annô, pannum ejusdem coloris dedit, quô equos vel mulas ſternerent, dum equitant. Voluit præterea in decretum referre, ut Galeri Cardinalium ex ſerico coccineo fierent; ſed id quò minus decerneretur, vetuére illi, qui benè ſentientes, diminuendam eſſe Eccleſiæ pompam, non augendam cum detrimento Chriſtianæ religionis, prædicabant.* Hæc Platina, & ex eo Ciacconicus. Victorellus etiam Volaterranum & Cardinalem Papienſem addit, quorum Ille *tegumenta ruſſata*, Hic *Capitia rubra* Cardinalibus à Paulo II. data memorat, altero etiam ſolos Antiſtites Romanos iis antea uſos, aſſerente. Sed etiam in ſubſelliis eſt, quod obſerves. Et quid? excepit NEARISTOZETVS.


TVS. Eorum altitudo, reſpondit DVLODORVS; nam etiam hæc Paullo ortum debet; Ita enim Victorellus d. l. *Cardinalis Papienſis alia adhuc Paulum Cardinalibus dediſſe narrat, SUBSELLIA ſcilicet ALTIORA, tum ad Senatûs, tum rerum ſacrarum conſeſſum* Res aperta eſt, inquit NEARISTOZETVS: Quid autem Leo trabe diviſus, cui Claves & Mitra Pontificalis imminent? Inſignia *Barborum* ſunt, inquit DVLODORVS, ex quorum familia Paulus oriundus erat, Nicolai Barbi & Polyxenæ, Eugenii IV. ſororis, filius, *Petrus Barbus* ante Pontificatum appellatus.

Nimis diu, inquit NEARISTOZETVS, ad Numiſmatis adverſam hæſimus. Averſa judicium Chriſti extremum adumbrat, in eoque Te docente, Duodecim Apoſtoli primas tenent. Quæ rei ratio? Effatum Chriſti, inquit DVLODORVS, qui Matthæi cap. XIX. v. 28. ita ad eos infit: *Hoc vobis confirmo (inquit eis) Vos, qui me ſecuti eſtis, in renovata via, quum ſedebit Filius Hominis in ſuo glorioſo tribunali, ſeſſuros eſſe vos quoque in duodecim tribunalibus, judicantes duodecim Tribus Iſraelitarum.* Locus apprimè quadrat, inquit NEARISTOZETVS; Sed retrò hos duodecim, video adhuc alios. Et ipſi Chriſti diſcipuli videntur, reſpondit DVLODORVS; Numerum enim præcipuorum, etiam in hac vita, ad *ſeptuaginta* ſurrexiſſe, ex Sacris indubium eſt. At, inquit ALTER, annon etiam plures Cardinales fuére? Fuére, reſpondit DVLODORVS; Sed cum judicium duodecim Apoſtolis tantùm adſcriptum fuerit, totidem utique & in judicio Pontificis videntur expreſſi, ut æmulum judicii divini noſceretur. Thronum Chriſti admiror, inquit NEARISTOZETVS; undique enim Angelis circumdatus eſt, & à tergo beatorum myriades cernuntur, uti ad latera Sol & Luna cum ſtellis. Omnia hæc, reſpondit DVLODORVS, & ipſa ad Sacræ Paginæ præſcriptum; Ita enim Matth. cap. XXV. v. 31. *Quum autem venerit Filius Hominis cum ſua gloria, nec non omnes ſancti Angeli cum eo, tum ſedebit in ſuo glorioſo tribunali.* Sed quis hæc negat? Quis neſcit Solem & Lunam tenebris obducendos, & ſidera de cœlo caſura, omniaque Cœlorum robora concuſſa iri, cùm tamen hoc apud eundem Evangeliſtam cap. XXIV. v. 29. expreſſis verbis legatur? Ita nec in Numiſmatis baſi Angelos tubas inflantes miraberis, nec mortuos è ſepulcris prodeuntes; Et ipſum enim eòdem capite v. 22. prædictum eſt. Non hoc me angit, inquit NEARISTOZETVS; Sed quid in medio Ciſta illa, cum variis impoſitis inſtrumentis, quorum ab altero latere fœmina velata, ab altero vir amictu pelliceo viſitur ornatus? Ciſta illa, reſpondit DVLODORVS, ſepulcrum Chriſti mihi videtur, quo reliqua Mortuorum ſepulcra ſanctificata ſunt. Inſtrumenta videntur, ſupplicii Crucis eſſe, *Columna* ſc. in medio, inde *Duo Clavi*, *Haſtæ Cuſpis*, *Arundo cum Spongia* & *Scuticæ*. *Crux* ipſa, cum *corona ſpinea*, his ſuperpoſita, duobus hinc inde angelis attingitur. Mulier & Vir ad latera, *Maria* & *Johannes* ſunt, ubi tamen illud notandum, falſò Johanni amictum pelliceum aptari, cùm hic Johannis Baptiſtæ fuerit, non autem Evangeliſtæ, qui cruci cum matre Domini memoratur adſtitiſſe. Tranſeant hæc, inquit NEARISTOZETVS. Illud velim ſcire, unde Tibi innotuerit, quod ab initio aſſeruiſti, Numiſma ſcilicet hoc ab Alexandro VI. Bogislao Pomeraniæ Duci datum eſſe. Philippus II. reſpondit DVLODORVS, & ipſe Pomeraniæ Dux mihi teſtis eſt. Is Numiſma hoc, ad ſua usque tempora inter Ducum pretioſa aſſervatum, Menſæ ſuæ artificiali, quam vocant, ſuis ſumptibus conſtructæ, & poſtea ad Electorem Brandenburgicum, nunc & Regem Boruſſiæ, devolutæ immiſit, non nudum; ſed ſequenti

cum

cum inſcriptione: Dies Stugke Goldes iſt von Bapſt *Alexandro VI.* zu Roma/ Hertzog Bugſchlafen den 10. von Pommern/ in ſeiner F. G. Wiederkunfft vom heiligen/ Grabe Anno 1497. am H. Chriſtag nach gehaltener Hoch-Meß/ nebſt einem Hertzog-Hut und guldenen Schwerdt verehret/ hat am Gewicht 20. Ducaten. Sed ad alia tranſimus. Sequitur

NUMISMA AUREUM
SIXTI QVARTI,
ANNO JUBILEI CUSUM.



Rariſſimum hoc eſt, infit NEARISTOZETUS. Nec Molinetus, nec Bonannus id publicavére. Ita eſt, reſpondit DULODORUS. Non metallum tantùm, ſed & Magnitudo id commendat: ut taceam, nulli Authorum, quod ſciam, hactenus eſſe memoratum: Taceam & res eò expreſſas, quæ & ipſæ obſervatu digniſſimæ ſunt. Nihil video, excepit NEARISTOZETUS, niſi Chriſtum, Petro oves tradentem, cum mandato: PETRE PASCE OVES MEAS: & in averſa Navim, & extra hanc Chriſtum, Petro fluctibus percunti manum porrigentem, cum hujus precatione: DOMINE ADJUVA NOS; Et illius objurgatione: MODICE FIDEI QVARE DUBITASTI? quæ utique ex Evangeliſtis notiora ſunt, quàm ut de iis quæri debeat. Nota ſunt, excepit DULODORUS; Sed quomodo Sixto debeant & poſſint applicari? de eo omninò quærendum. Ego autem, antequam ad hæc deſcendam, meritò de ipſo Sixti nomine præfandum duco. Quid ad nomen diceres? infit NEARISTOZETUS. Notum eſt, Pontifices nomina pro lubitu mutaſſe: Indeque & *Sixtum* appellatum, qui antea *Franciſcus* vocabatur. Sit ita, reſpondit DULODORUS, quanquam Roccius in ejus vita Mſc. teſte Victorello & *Sixtum*, duplici nomine in Baptiſmatis lavacro, & *Franciſcum* appellatum ſcribat. Si Roccio fides, repoſuit NEARISTOZETVS, videtur quærendum, cur omiſſò nomine *Franciſci*, retinuerit Nomen *Sixti*, cùm tamen Inſcriptione & Picturâ Xenodochii apud Platinam docentibus:

SANCTUS FRANCISCUS
LUCHINÆ,
SIXTUM IV. PARTURIENTI,
PER VISUM IN SOMNIO APPARUERIT,
ET ORDINIS SUI HABITUM
EI PORRIGERE VISUS SIT.

Franciſco, reſpondit DULODORUS, aſſumtò à teneris *Franciſci* & habitu & ordine ſatisfecit. Cur autem *Sixti* nomen poſt Pontificatum vel retinuerit, vel aſſumſerit, teſte Ciacconio illud cauſæ fertur, quòd die *Sixti* feſtò

Cardinales Conclave ingressi fuerint, ex quo ipse Pontifex M. exivit. Ratio placet, inquit NEARISTOZETUS. Quid autem Clypeus, cum arbore à fune suspensus, quem ab utroque latere Angeli alis passis evehunt, clavibus decussatim clypeo imminentibus, Coronamque Pontificalem sustinentibus? Arbor in Clypeo, respondit DULODORUS, *Quercus* est *Ruvereorum* insigne; Quercus enim, sive Robur, Italis *Rovere* dictum, idem Ciacconius author est: quam in rem Virgilio l. 3. Georg. *antiquo robore Quercus*. & l. 3. Æneid. *Valido cum robore Quercus* canitur. Angeli hoc insigne funibus suspensum elevant, ut adumbretur elevatio Sixti: & quousque? id indicat Corona Pontificis, & Claves Clypeo impositæ: Ad Pontificatum videlicet Maximum, cujus *dignitas* coronâ triplici, *potestas* clavibus indicatur; nam his regnum Cœlorum & claudere solent Pontifices & aperire: quæ ratio est, ut duas claves gestent. De nihilo autem non arbitreris esse, quòd Claves & Corona, clypeo, sive insignibus Ruvereorum, impositæ sint: Nec etiam quòd impositas, simul cum clypeo, elevent Angeli; Illud enim gravitatem & officii & dignitatis Pontificalis adumbrat: hoc adumbrat non tantùm divinum clementiam, quæ Sixtum ad Pontificatum evexerit, sed etiam divinum auxilium, quô nixus tantum onus eò faciliùs se sustentaturum confisus sit. Divinam Clementiam, excepit NEARISTOZETUS, quâ Sixtus ad Pontificatum evectus est, etiam Christus innuit, *Petro*, ut in inscriptione legitur, & in figuris exprimitur, *suas oves pascendas committens*: quod ad Sixtum pertinere, adjectum Sixti nomen dubitare non sinit. Rem tenes, subjecit DULODORUS; sed addenda ratio, cur tàm in adversâ, quàm in aversâ hujus Numismatis se Petro Sixtus assimulaverit? Ratio, respondit NEARISTOZETUS, ei cum omnibus Pontificibus Maximis communis est; Omnes enim se Petri successores ferunt; Imò est & Sixto propria, excepit DULODORUS, Cardinalis *S. Petri ad vincula* vocabatur, cùm Pontifex fieret. Ita enim Ciacconius: *Fr. Franciscus de Ruvere Savonensis Ligur, Ordinis Minorum, Presbyter Cardinalis titulo* S. PETRI AD VINCULA *electus Papa*. Benè hoc, excepit NEARISTOZETUS; sed mirari subit, quòd Sixtus hic sub habitu Petri, claves cœli ferentis, Christi oves mandato ejus sibi concreditas mentiatur, cùm tamen constet, eum pactò interveniente ad Pontificatum pervenisse, cùm Bessarion eâ se ratione Pontificem creari velle pernegasset. Id idem Ciacconius memorat, inquit DULODORUS. Sed Sixto res nihil obest. An nescis, hodiéque Imperatores nostros intervenientibus Pactis ad Imperium aspirare, & tamen Dei Gratiâ electos videri? Sixtus certè, Coronatione celebratâ (quod ante fores Basilicæ Principis Apostolorum factum, adeòque & altera ratio esse potest, cur Petro se assimulaverit?) statim ad rem Ecclesiasticam, Christianamque animum memoratur adjecisse, laudabilique progressu usque ad vitæ finem per annos Tredecim & dies quatuor, videlicet ab anno 1471. d. 9. Augusti, quô Electus est, ad annum 1484. diem 13. Augusti, quô mortuus, durasse: Cujus Zeli non Historia tantùm, sed & extructa ejus auspiciis, piis usibus Palatia & Templa se testes sistunt. In nostro Numismate, annus Jubilei prodit, sive, ut legitur JOBILEI, cujus solennitatem Sixtus annô Christi 1475. celebravit, viginti quinque annis, postquam Nicolaus V. eundem Romæ celebrasset. Annis viginti quinque? interrogavit NEARISTOZETUS. At annos Centum intercedere credebam. Id ab initio, respondit DULODORUS. Clemens VI. autem, docente Ciacconio sub Bonifacio VIII. ad quinquagesimum annum Jubileum reduxit: Urbanus VI. ad Triginta quatuor con-

contraxit: Bonifacius IX. in Quinquaginta restituit, celebravitque anno 1400. Paulus II. ad viginti quinque reduxit. Paulus II? denuò, excepit NEARISTOZETUS; At hic Jubilæum non celebravit? sed omninò Sixtus, de quo hic loquimur, Quartus? Paulus, respondit DULODORUS, teste Victorello, tempus celebrandi Jubilæum ad 25. annum revocavit, anno 1470. 13. Kal. Maji Constit. *Ineffabilis* &c. insignem celebritatem anno 1475. obiturus, si superstes fuisset. Paulo exstinctô celebravit Sixtus, qui & annô 1473. die 29. Aug. Const. *Quemadmodum* &c. illius Constitutionem firmaverat. Ad aversam transeo, inquit NEARISTOZETUS. Hîc navem video, Christi Apostolis refertam, & extra hanc Petrum fluctibus mergendum, Christique adstantis auxilium implorantem, planè qualiter Matthæi cap. XIV. v. 3. seqq. describitur. Sed quid hoc ad Sixtum? Navis, respondit DULODORUS, Ecclesiæ typus est, & quidem fluctibus & ventis agitata, Ecclesiæ variis persecutionum & fortunæ tempestatibus obnoxiæ. Sit ita, respondit NEARISTOZETUS. An autem Sixtus, cùm Pontificatum adiret, (id enim præcipuè hîc vertitur,) extrà Ecclesiam se vastis persecutionum & fortunæ procellis objecit? Extra Ecclesiam gubernandam, respondit DULODORUS, idque jussu Christi, & ad Christum, quod utique in Christi Vicario non mireris, cùm & Christus hîc extra navim suprà fluctus incedat. Superbiam hoc sapit, inquit NEARISTOZETUS, ut videlicet in omnibus Christo similis videatur. Utinam nos omnes Christo similes essemus! respondit DULODORUS. Superbiam certè non præsumseris in pereunte, & auxilium divinum implorante: multò minus in eo, qui Christi objurgationem Numismati imprimendô, non obscurè culpam fassus est. Sixtus videlicet ad Pontificatum evectus, rectè hîc sub personâ Petri, extra navim, aut Ecclesiam gubernandam, in vastum & horridum procellis mare fingitur jussu Christi se conjecisse: considerando procellas, quibus Ecclesia agitari solet, quibusque ejus gubernator se objicere necesse habet: Rectè Petro dubitanti se comparasse; nam & ipse se dubitasse fatetur, in Epistola ad Interamnenses. Verba adjicio, ne quid obscurum sit: *Creator noster*, inquit, *& redemtor DOMINUS JESUS CHRISTUS, cùm mundum ex nihilo condens, cætera omnia mirô quôdam ordine, incomprehensibilique ratione dispofuerit atque formaverit; Sanctam tamen ECCLESIAM, Corpus suum Mysticum figurantem, eâ prosecutus est caritate, eâ pietate fundavit & stabilivit, ut agitari QUIDEM FLUCTIBUS TEMPESTATIBUSQUE QUASI POSSET, mergi autem & omninò naufragium facere non posset. Sed ut potius, quò videretur aliquando, extremæ sorti proximiorem, eò in salutis, tranquillitatisque portum, per successionem Vicariorum ejus, vel aliam quamvis divinitùs factam rerum Commutationem, reductam consolaretur: Sicut nuper fel. record. Paulo II. Romano Pontifice, Prædecessore nostro, de mortalis hujus vitæ ærumnis ad cælestem patriam, die 7. Kal. Augusti, sicut Domino placuit, evocato, afflicta talis Pastoris amissione mærebat sancta Ecclesia, cùm venerabiles Cardinales, de quorum numero tunc eramus, solliciti, prout gravitas rei exigebat, de futura Romani Pontificis Electione, modô & tempore congruis, in Palatio Apostolico, apud Basilicam PRINCIPIS APOSTOLORUM de urbe conclave ingressi, nobiscum in unum convenientes, & super tanti negotii deliberatione aliquandiu consultantes, tandem Sancti Spiritus, à quo Ecclesia ipsa Christi Sponsa regitur, infusione eorum animorum sic afflante, licet in alios majorum longè meritorum consentire potuissent, tamen ad personam nostram vota sua unanimiter dirigentes, V. Idus Aug. Nos tunc titulo S. PETRI AD VINCULA PRESBYTERUM CAR-*

 DINA-

DINALEM, nescimus quo occulto, sed certò NOBIS TREMENDO Dei judicio, in APOSTOLICÆ CELSITUDINIS FASTIGIO CONCORDITER COLLOCARUNT. Super qua re, licet ipsi de Nostra imbecillitate, conscii, virium nostrarum tenuitatem ad dignè perferendum tantæ sarcinæ onus animo metientes, aliquandiu, quid nobis esset agendum, DUBII deliberavimus. Hæc benè, inquit NEARISTOZETUS; Sed ubi invocatio? Eam, respondit DULODORUS, Sixti symbolum arguit. Factus Pontifex, inquit Oldoinus, nomen Sixti ejus nuncupationis IIII. assumsit, & symbolum ex Psalmis David cepit: AUXILIUM MEUM A DOMINO, QVI FECIT COELUM ET TERRAM. Idem confirmat & ipse in eadem Epistola: *Apostolicæ servitutis jugo*, inquit, *collum submisimus, sperantes illum, qui ab ipsa suæ Ecclesiæ fundatione infirma mundi elegit, ut confunderet fortia, qui & Electionis ipsius auctor fuit, vires suas in tanta necessitate nobis subministraturum.* Intelligis, NEARISTOZETE, nervum & invocationis Petri, & confirmationis Christi? Intelligo, inquit ILLE; sed miror, quòd hæc Electioni suæ convenientia, Nummo Jubilei Sixtus impresserit? An tunc ratio fuit, ut Electionis memoriam renovaret? Fuit, inquit DULODORUS. Si enim unquam, certè tunc Romana Ecclesia afflicta, auxiliumque divinum necessarium videbatur, Bellis, ut Ciacconius ait, in Gallia, Burgundia, Germania, Hungaria, Polonia, & Hispania sævientibus: undè etiam, si Ciacconio fides, rarissimi in Urbem accessére; Quanquam Oldoinus, inter reliquos, qui magno numero in urbem confluxerint ad Jubileum, fuisse asserat Ferdinandum Regem Neapolitanum, Catharinam Reginam Bosniæ, & Reginam Daciæ, uxorem Christerni Regis: Item Andream Palæologum Moreæ despotam, Leonardum Taccum, despotam Albaniæ, Carlottam Reginam Cypri & Hierusalem; eosque omnes, è Regnis ejectos, Sixtum sumtibus suis sustentavisse. An hoc ob Annonæ caritatem? excepit NEARISTOZETUS. Non dixerim, respondit DULODORUS; multos Annonam congessisse, Ciacconius author est; Licet enim & juxta asserat, initiò Annonam caram fuisse: addit tamen, propter bella & raritatem ventitantium in fine fertilissimam fuisse. Non autem tam *Annona*, quàm vel *Bella*, vel certè *Inundatio Tiberis*, Numismatis causæ videntur. *Anno 1475. mense Novembris*, inquit idem Ciacconius, *Tiberis adeò intumuit, & Romam inundavit, ut qui ad sanctum Paulum Jubilei gratiâ essent adituri, non aliter quàm scaphis iter agere possent, multa urbi detrimenta inferens.* Quid videtur NEARISTOZETE? Nonne rectè tunc Sixtus, cum Petro fluctibus circumdato, potuerit exclamare: DOMINE ADJUVA NOS! Succedit

NUMISMA AUREUM
ALEXANDRI VI. P. M.
PRINCIPES APOSTOLORUM VENERANTIS.



Alexandri Nomen video, inquit NEARISTOZETUS: Effigiem non video. In nomine, respondit DULODORUS, si non effigies, tamen vigor animi radiat.

diat. Angelus certè Politianus, teſte Andrea Victorello, Pontificem allocutus, *Ipſum Alexandri nomen*, inquit, *omnibus Orientis Populis formidabile, quod Tibi credo non fruſtrà, ſed divinitùs adoptaſti, magna quædam de te nobis, rara, ardua, ſingularia, incredibilia, inaudita, pollicetur.* Si tamen & vultum deſideres, videri poteſt apud Molinetum & Bonannum, addique Nicolai Tigrini elogium: *Quid iſte tuus*, inquit, *divinus & Majeſtate plenus aſpectus? Quid vultus & facies venerabilis? &c.* Adeò ut Joh. Cantor in Epigrammate non adeò vanè cecinerit:

Vivat Alexander celebrandus imagine Magni!
Faſtigio major, non probitate minor.

Alexander M. probitas, excepit NEARISTOZETUS, tanta non fuit. Alexandri Pontificis quanta fuerit, teſtantur vitia, quibus paſſim diffamatur. An hæc vera ſint, reſpondit DULODORUS, an autem conficta? hoc loco non diſquirimus. Genium in nomine contemplamur. Genius, ſubjecit NEARISTOZETUS, ex factis elucet. Spiritus Martios non tantùm Hiſtoria, ſed fortaſſis etiam Numiſmatis averſa adumbrat; Neque enim *Petrum* tantùm, cujus ſe ſucceſſores Pontifices ferunt, cum *clave*; ſed & *Paulum* cum *gladio* expreſſit: eosque inſignibus, & Pontificiis & gentilitiis, imminentes, cum elogio: PRINCIPES APOSTOLORUM. Petrum & Paulum, ſubjecit DULODORUS, etiam alii expreſſerunt. Sed non cum gladio elato, reſpondit NEARISTOZETUS; Cùmque Alexander, etiam inſignia iis ſubjecerit, quis non videt, hoc typo indicaturum, *tutelam Pontificiæ ſuæ dignitatis ſe non Petro tantùm, ſed & Paulo committere?* aut ut apertius loquar, *non poteſtate tantùm clavium, ſed & gladii tuiturum*, id quod re ipſa feciſſe legitur; Contra Carolum VIII. enim, Regem Galliæ, ut Ciacconius teſtatur, multas cohortes ſcripſit, quibus Urbem ſeque à Gallorum armis tueretur: Ut fœdus cum Arragonio & Florentinis taceam, in quod & Hiſpanum & Venetos, ſed fruſtrà, invitavit. Contra Carolum, ſubjecit DULODORUS, poteſtas gladii nihil valuit. Fuſis ad Maceram amnem Florentinorum copiis, Rex militari robore Romam ingreſſus eſt. Pontificem ad fœdus compulit. Hoc diuturnum non fuit, reſpondit NEARISTOZETUS; Alexander enim, cùm aliquandiu Regis iram *Petri clave* vitaſſet, ſanctitatisque oſtentatione ſuſpicionis impetum fregiſſet, uti apud Victorellum videre eſt, eò digreſſò, & Regnum Neapolitanum Victoriis peragrante, ad *gladium* reverſus eſt, fœdusque cum Cæſare, Rege Hiſpaniæ Catholico Ferdinando, Duce Ludovico Sfortia Mediolanenſi, & Venetis, pro Italiæ ſalute denuò contra Gallos inivit, pugnæque ad Farum torrentem, quò Gallorum vires fractæ ſunt, particeps fuit. Et hoc Carolo vivo. Sequenti tempore genium apertius prodidit. Variis officiis à Caroli ſucceſſore delinitus, execrabile, ut Ciacconio vocatur, & Italiæ funeſtum fœdus, cum Ludovico XII. Florentinis, Venetis, & Ferdinando Hiſpano, contra Ludovicum Sfortiam Mediolanenſem, & Fridericum Regem Neapolitanum, iis conditionibus percuſſit, ut Principatu Mediolanenſi acquiſitò, Cremona Venetis dederetur, & Cæſar Borgias, Papæ filius, ſociorum auxilio Æmiliam, Flaminiam, Picenum, & Umbriam, veteribus Dominis ejectis, obtineret. Intra conſilium res non ſtetit. Dum confœderati Victricia arma circumferunt; Cæſar Borgias copiarum Pontificiarum Dux, Regulos aggredi cœpit, *patreque adjuvante*, maximum ſibi in Italia Imperium comparavit. Quid eſt, ſi hoc non eſt, *Pauli gladio uti?* Convenit, ut dixi, etiam habitus, quòd gladium hunc Paulus elevet, & quidem ſupra inſignia Ponti-

tificatûs: Tiarâ & duplici Clave, clypeo Gentilitio impositis, quibus nescio, an aliud intendi possit? Vereor assentiri, excepit DULODORUS; Gladium Pauli enim potius de *gladio spiritûs* interpretarer. Id videri poterit, subjecit NEARISTOZETUS: Sed historia, & occultior Alexandri sensus aliud suadent. Mihi, subjecit DULODORUS, aliud non videtur; neque enim Pontificem, ejusmodi à Pontificis officio aliena, crediderim, vel intellexisse, vel æternitati commendasse. Gladius elatus ad rem nihil facit, cùm is in dimidiatis figuris deprimi non potuerit. Quid, quòd adjunctus Petrus etiam clavem elatam gestet, nullâ omninò indignâ Pontifice significatione? At, inquit NEARISTOZETUS, si hoc Alexander non respexit, cur poterit Typum expressisse? Gratitudinis ergo, respondit DULODORUS, quòd *Die S. S.* Apostolorum *Petri & Pauli* sacro, Tubi vaporarii casu graviter quidem sauciatus, incolumis tamen evasisset. Rem enarrat Oldoinus: *Die S. S. Apostolorum Petri & Pauli sacro, horâ quartâ post meridiem, orto violentissimo turbine imbri & grandinis, ventorumque vehementi procellâ, tubus vaporarius eversus, suprà cœnationem, ubi Pontifex agebat, tabulis confractis, duos ad pedes Pontificis occisos projecit, ac tertium gravi vulnere saucium. Et ne Pontificis caput comminueretur lateribus ac tabulis cadentibus, superstantis umbellæ tegmen prohibuit; Capite tamen & manu graviter sauciatis exspiranti similis inter rudera repertus, abductus est. Per urbem ac per Italiam illicò Pontificis mors divulgata. Verùm eas molitiones, restituta brevi Pontificis valetudo frenavit; die enim vigesima quinta Julii ad Ecclesiam S. Mariæ del Populo publicè equitare conspectus est, ad redendas Deo gratias de recuperata sanitate:* Hæc Olduinus: Adeò, ut non abs re credas, Pontificem, quòd *Die Petri & Pauli sacro* gravissimum casum evasisset, eorundem tutelæ id adscripsisse, idque proposito Numismate testatum esse. Res in medio sit! inquit NEARISTOZETUS. Mihi de Insignibus quærere libet; Clypeum enim in medio divisum, & in altero segmento bovem video. Bos, respondit DULODORUS, *Borgiorum* insigne est, ex quibus Alexander per Matrem ortum duxit, uti à *Lenzoliis*, quorum insigne altero segmento continetur, per Patrem: Filius videlicet *Jofredi Lenzolii* Equitis, & *Johannæ, Callisti Papæ sororis*, qui ei *Borgiorum & nomen & insignia* contulit, unde ante Pontificatum, *Rodericum Borgiam Lenzolium* tradidêre dictum. Ad bovem notandum, quod Coirus, teste Olduino, satis mordaciter dixit: *ingressum eum esse in Pontificatum mansuetè, ut BOVEM; sed administrasse, ut LEONEM.* Quicquid sit, Nemesin non effugit, cùm ab annô 1492. 3. Id. Augusti, ad annum 1503. 15. Kal. Sept. sedisset, venenô extinctus est, se, ut creditur, conscio, scelere filii aliis paratô: sibi autem & filio, pocillatoris errore, an potius justa Dei vindicta? porrectô. Sequitur

NUMISMA ARGENTEUM
JULII II. P. M.
CUM ARCE ET PORTU CENTUMCELLENSI.



Elegans

Elegans eſt nummus, inquit NEARISTOZETUS; Sed, niſi fallor, apud Molinetum & Bonannum exſtat, referturque ad *Arcem Urbis Veteris*, ad quam exſtruendam Julius anno 1508. primum lapidem poſuerit: Quæ igitur ratio, ut denuò proponatur? Julii facies, inquit DULODORUS, & Centum-cellarum obſcuritas: ut nihil de diverſitate metalli dicam; quamvis Bonannus tantùm *æreum* dederit. Quod faciem attinet, Julium imberbem exhibent Numiſmata, non hoc tantùm; ſed & ea, quæ apud Molinetum & Bonannum proſtant, cùm tamen & Luckius & Onuphrius, & Ciacconius prolixè barbatum exhibeant, & hic talem fuiſſe, etiam teſtimoniò ſuò aſſerat: *Primus omnium Pontificum*, inquit, *Julius contrà majorem conſuetudinem barbam prolixam aluit, ut majorem intuentibus reverentiam incuteret, idque reliqui poſt eum Romani Pontifices probaſſe uſu videntur.* Hæc ſunt verba Ciacconii, quæ ex Maſſono hauſta, Victorellus obſervavit. Quid ſequar? inquit NEARISTOZETVS. An fidem Numiſmatum? an aſſertum Ciacconii? Utrum libet, reſpondit DVLODORVS; Licet enim Molinetus Clementem VII. hujus moris authorem ſtatuat, quòd is intra molem Hadriani per ſeptem menſes, à Caroli V. Exercitu obſeſſus barbam radere neglexiſſet, indeque barbatus prodierit, eòque in ſtatu deinceps, quòd virum gravem & Populis venerandum is magis decere videretur, remanſerit; tamen & Julium barbam aluiſſe, non tantùm Ciacconius teſtatur; ſed & Monumentum ejus marmoreum à M. Angelo Bonarota in Templo D. Petri ad vincula erectum, in quò ejus ſimulacrum jacentis barbatum viſitur: adeò ut mirum non ſit, quòd idem Molinetus ſub Clemente VII. ait, *inveniri etiam Numiſma Julii II. cujus vultus barbam etiam prolixam habeat.* Talia ſanè etiam apud Luckium proſtant, unde barbam videtur aluiſſe circa vitæ finem, cùm ab initio & medio probè ſanè raderetur, id quod inter cætera & ex hoc Nummo patet; Percuſſum enim eſſe mediò Pontificatus tempore ex hiſtoria patet, cum anno 1502. electus ſit, annò 1508. autem, Decembri ineunte, primum lapidem & Numiſmata ad exſtruendam Urbis Veteris Arcem poſuerit, ut ex Diariis Mſc. Pariſi de Craſſo obſervat Victorellus. Arcem Urbis Veteris memoras, inquit NEARISTOZETVS; An eadem illa eſt, quæ hodiè *Civita Vecchia* appellatur, & quam antiquitùs *Centum-cellas* dictam Molinetus tradit? Ea ipſa, reſpondit DVLODORVS. Videri de ea poteſt Cluverius *in Ital. Antiqua*, & Alii. Ignota eſt nominis ratio, excepit NEARISTOZETVS. At nota erit, reſpondit DVLODORVS, ſi ex Philippo Cluverio memineris, *Cellas* dici *navium ſtationes*, quæ Græcis Νεώσοικοι appellantur. Id ſi verum, ratio in portùs capacitate conſiſtit, quòd centum ſtationibus ſuperbierit. Stationes eas in Nummo non video, inquit NEARISTOZETVS. An hodiènum ſint? an non? reſpondit DVLODORVS, mihi non liquet. Sola Arx in Nummo eſt, ad quam, ut modò audivimus, exſtruendam Julius noſter primum lapidem poſuit. Licet autem hodiè Centum illas Cellas non ampliùs habeat hic portus, proculdubio tamen habuit ab initio. Quis ejus author? excepit NEARISTOZETVS. Proculdubio Trajanus, reſpondit DVLODORVS; Ita enim Plinius junior lib. VI. Ep. XXXI. cùm à Cæſare Centum-cellas in conſilium ſe evocatum dixiſſet, lateque judicii cauſas, Cæſariſque liberalitatem narraſſet: *locus ipſe*, inquit, *perjucundus fuit. Villa pulcherrima cingitur viridiſſimis agris: Imminet litori, cujus in ſinu quàm maximus Portus, velut Amphitheatrum. Hujus ſiniſtrum bracchium firmiſſimo opere munitum eſt: dextrum elaboratur. In ore portûs Inſula adſurgit, quæ illatum vento mare objacens frangit, tutumque ab utroque*

latere

latere decursum navibus præstat. Adsurgit autem arte visenda. Ingentia saxa latissima navis provehit: contra hæc alia super alia erecta ipsô pondere manent, ac sensim, quôdam velut aggere construuntur. Eminet jam & apparet saxeum dorsum, impactosque fluctus in immensum elidit & tollit. Vastus illic fragor, canumque circa Mare. Saxis deinde pilæ adjiciuntur, quæ procedenti tempore enatam insulam imitentur. Habebit hic portus etiam NOMEN AUCTORIS, eritque vel maximè salutaris; Nam per longissimum spatium litus importuosum hoc receptaculo utetur. Hæc Plinius de portus hujus origine. Luculenter fateor, inquit NEARISTOZETVS. Quid autem est, quod ait, *Authoris nomen habiturum!* Id quod Ptolomæus tradit, respondit DVLODORVS; Ei enim non *Centum cellæ*, sed ὁ Τραιανὸς λιμὴν *Trajanus Portus* dicitur.

Originem vidimus, inquit NEARISTOZETVS. Quid autem de progressu. Variâ fortunâ agitabatur, ut omnia, respondit DULODORUS. Centum-Cellas jam propè desertas, propter collapsa mœnia, restituit Gregorius III. P. M. qui anno 731. creatus, annos decem & aliquot menses præfuit, uti videri est apud Ciacconium: Easdem à Saracenis solò æquatas, à Leone IV. qui ab annò 847. octo annos sedit, aliò, & quidem locò divinitùs sibi ostensò, restitutas, indeque *Leopolin* dictas, memorant Anastasius Bibliothecarius, & ex eo Oldoinus. Inde Amicus Agnifilus, quem Paulus Venetus Cardinalem creavit, ad Centum-cellarum oram, arcem munitissimam exstruxit, nunc etiam exstantem: id quod ex multis titulis constare, idem Oldoinus author est. Tandem Julius noster, & Alii qui secuti sunt, de quibus infrà, si occasio erit, ulteriùs agemus. Quid non longæva valet mutare vetustas! exclamavit NEARISTOZETVS. Sola Numismatum gratia Æternitatem spirat! Servant hæc Arcis à Julio ad Portum Centumcellensem exstructæ imaginem, cùm aliorum nihil nisi sterilis memoria supersit. Sed quid? An Julius *Ligur* fuit? Originem generis, inquit DVLODORVS, non tutius, quàm verbis Ciacconii exponemus: *Julius II.* inquit, *qui ante Pontificatum JULIANUS DE RUVERE dicebatur, à GENTE ROBOREA, vulgò RUVEREA, inter Subalpinas nobili, genus & gentilitia insignia, quæ Robore seu Quercu aurea sunt expressa, ducebat: Origo Gentis à Longobardis, familiæque author Hermundus fuit, qui anno Christi 700. vixisse fertur. Simon Ruvereus ex Taurinis, ubi hæc familia apud Augustam Prætoriam ortum habuit, in Ligures ad Vada Sabatia, quam Savonam vocant, concessit, ibique fixo domicilio, ab eo Gens de* Ruvere *in illa urbe, reliquis familiis nobilitate haud inferior manavit. Ex hac familiâ Savonis, Ligustici maris Oppido, anno 1443. natus Julius secundus, Patrem habuit Raphaelem Ruvereum, Sixti IV. Papæ fratrem; Matrem verò Theodoram Manerolam &c.* Luculenta hæc est generis descriptio, inquit NEARISTOZETVS; sed quando Electus; Et quando mortuus? Electus est, inquit DVLODORVS, annò 1503. die 22. Septembris: Obiit annò 1513. die 11. Februarii, Septuagenarius Senex; Sed hæc apud Historiographos trita sunt. Sequitur

NUMI-

NUMISMA AUREUM
Cum
LEONIS X. P. M.
TRIBUS REGIBUS DUCE STELLA EQUITANTIBUS.



Numiſma hoc, excepit NEARISTOZETUS, etiam Bonannus ex auro vulgavit. Sed non explicavit, excepit DULODORUS, ingenuè faſſus, cur tres Magos Reges, equitantes ſub ſidere Duce, quod omnes adſpiciunt, Leo Pontifex expreſſerit? ignotum ſibi eſſe, cùm è nullo ejus monumento potuerit arguere. Ne tamen jejunus omninò imaginem proſequeretur, Regum habitum conſiderat, Chlamydem videlicet & Coronam radiatam, antiquô more expreſſas: Quanquam in aliis monumentis, ut ait, Magorum capita vel Pallio, vel Galeis, vel Tiaris, vel Biretis, aut Cucullis tecta, vel denique omninò nuda occurrant. De habitu, inquit NEARISTOZETUS, ego ſollicitus non ſum: Imò nec quæſiverim, an Equites? an pedites? iter ingreſſi ſint. Potiùs Pontificis mentem juvabit inſpicere, quâ notiſſimam hanc de Magis, ſive Regibus Tribus, hiſtoriam Numiſmati ſuo impreſſerit? An nihil omninò de his Bonannus? Conjecturam adfert, inquit DULODORUS, de Signo, quô pro Bullis Pontifex uſus fuit, cujusque inſcriptio erat: *Ad Dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me*; Sed mihi ea valdè infirma videtur; Quid enim hoc ad Magos Reges? Quid ad inſcriptionem Numiſmatis, LUX VERA IN TENEBRIS LUCET? Quicquid autem ſit, licebit Conjecturam Conjecturâ penſare, non ut arbitror tutili; ſed ex ipſâ re depromptâ. Inſcriptio LUX VERA IN TENEBRIS LUCET, ſatis indicat de *Luce fidei* typum intelligendum eſſe: Et ne dubites, cujus fidei Lux, vera ſignificetur? ſubjicitur, ROMA: idque in Nummo Romani Pontificis. Si hoc admittam, inquit NEARISTOZETUS, quid erunt Tenebræ? Et quid Reges lucem veram reſpicientes? ejusque ad ſplendorem iter dirigentes? Facilis eſt reſponſio, excepit DULODORUS. Tenebræ intelliguntur Hæreſes, ſub Leone contra fidem Romanam exortæ, qualis decantata illa, ſi Diis placet, Lutheri. Reges ſunt *Carolus V.* Imperator, *Franciſcus II.* Rex Galliæ, & *Henricus VIII.* Angliæ, qui præcipuè fidem Romanam contra Lutherum ſecuti ſunt, imò & propugnârunt: Adeò, ut & *Henricus VIII.* Rex Angliæ Librum eam in rem ſcripſerit, Pontificique obtulerit. Veriſimiliter hoc eruis, inquit NEARISTOZETUS. Quid autem *Tridens* Romæ nomini ſubjectus? Eosdem Reges denotat, reſpondit DULODORUS, Romanæ Potentiæ ſubjectos. Imò & aliud connotatur. Quid poſſit? interrogavit NEARISTOZETUS; An Regis Angliæ potentia? Rex enim Regni maritimi Dominus, quidni Tridente adumbretur? Fortaſſis, ſubjecit DULODORUS; Quanquam & reliquorum mentio eſſe poſſit. Tridente ſcilicet Neptunus tempeſtates fingitur diſcutere, commotumque mare pacare: Quid igitur, ſi Leo hoc ſchemate indigitaverit, Trium Regum, *Caroli* ſcilicet, *Franciſci*, & *Henrici*, potentiâ ſe tenebras hæreſium, tempeſta-

tesque à Luthero motas, facilè diſcuſſurum? Hæc non adeò malè, excepit NEARISTOZETUS, & jam mihi videor lucem veram hujus Numiſmatis aſſecutus, licet id hactenus in tenebris jacuerit. De eo, perrexit DULODORUS, judicabunt Periti. Ego ita Numiſma explicari poſſe credo, ſi ſenſu hiſtoricô id ſumatur. Si autem ſenſu Emblematico examines, latebit præterea non vulgare Leonis Elogium, quod ego non attingerem, niſi ſumma Romano-Catholicorum in Pontifices Maximos veneratio in propatulo jaceret. Senſu Emblematico, inquit NEARISTOZETUS, Lemma LUX VERA IN TENEBRIS LUCET, etiam de ipſo Pontifice intelligi deberet: At quò modò hoc fieri poteſt? Eô, reſpondit DULODORUS, quò Romani Pontifices ſe *Caput Eccleſiæ*, & quidem, ut ipſi dicunt, *veræ, verique Dei Vicarios* ferunt, quos proinde *lucem veram* ſe appellare quid mirum? cùm tamen quilibet fidelium, ſecundum ſacras paginas, & ſtellæ & luci rectè comparetur? Quid mirum, ſi Leo dicat, *ſe in tenebris lucere?* cùm tunc temporis ſedi Romanæ præfuerit, quibus maximè eam hæreſium, quas ferunt, tenebræ obſcurârunt? Quid mirum, ſi Reges hortatus credatur, ut contemtis tenebris, aut hæreticorum dogmatibus, ſe ſequantur, ſummum videlicet ſacrarum paginarum Myſtam & arbitrum, adeòque *lucem veram*, tutiſſimamque, quæ ad Chriſtum illos certò ductura ſit, & vitæ & fidei Cynoſuram? Sed ſequitur

NUMISMA ARGENTEUM
Ejusdem
LEONIS X.
LIBERALITATE, ET AMORE MUSICES, INCLYTI.



Id quod Molinetus ex Panvinio illuſtrat, cujus de Leone hæc ſunt: *Fuit*, inquit, *omnium, qui ad hanc diem fuerunt, Romanorum Pontificum liberaliſſimus. Muſicos magnoperè amavit, quum eſſet ejus artis peritiſſimus.* Addit Bonannus, qui hoc Numiſma ex ære vulgavit, *in pompam coronationis 100. Aureorum millia in vias diffuſa*, ex Ciacconio: *Pauperes vacuos redire non paſſum: Crumenam aureis quotidiè ſibi repleri juſſiſſe, in liberalitates incertas: Imò nec artium fama celebres indonatos reliquiſſe:* Quibus teſtimoniis Numiſmatis averſa, in quo liberalitas Nummos ex Cornucopiæ effundit, adjectaque à tergo ſunt Inſtrumenta Muſica, abundè declaratur. Fateor, inquit NEARISTOZETUS; An autem Liberalitas hæc, *Pontificia* inſcribi mereatur? forſan non abs re dubites. Quidni potiùs Leonis? Pontificis ſanè Liberalitas non in voluptates: non in pompam aut artes politicas; ſed in cauſas pias videtur exercenda fuiſſe. At, inquit DULODORUS, hoc ipſum Nummus innuit; Liberalitas enim non in Inſtrumenta Muſica, ſed iis à tergo relictis, in Libros & Mitras Epiſcopales & Cardinalitias, Pedumque Paſtorale Nummos fundit: Adeò ut Leo ſiniſtram fortaſſis, ob Muſices amorem, de ſe famam hôc Numiſmate videri poſſit voluiſſe diluere. Muſices ſanè ſtudium inter alia in illo reprehendit etiam Panvinius:

vinius;

vinius: *Id unum*, inquit, *ei datum, quòd voluptatibus, venationibus, aucupiis effusè deditus, luxui & ſplendidiſſimis conviviis, MUSICÆQUE magis, quàm tantum Pontificem deceret, totus impenderet.* At ego, inquit NEARISTOZETUS, niſi fallor etiam Inſtrumenta Muſica Numiſmatibus reſpergi video. Rectè vides, reſpondit DULODORUS; Sed non vides pleno flumine in ea effundi, qualiter in res ſacras. Scilicet Leo voluptates & Muſicam non erat relicturus, ſed innuit hoc Nummo, plenam ſe Liberalitatem in cauſas pias exercere: Exercendo tamen illam, quædam etiam in voluptates & Muſicos recidere, qui utique nec Principi negandi ſint, cùm muniis publicis feſſo, ad relaxandum animum & ipſi ſerviant. Acutè rem exponis, excepit NEARISTOZETUS. An autem tantâ Liberalitate in Sacris inclaruit, ut jure hoc Numiſma percuſſerit? De Liberalite ejus, reſpondit DULODORUS, pleni ſunt Hiſtoricorum Libri. Ego, ut ſatisfaciam, ſingula perſequar. *Libros* in nummo vides. Proculdubio Doctorum ii ſymbola ſunt. De his audi, quid Oldoinus narret: *Pluribus*, inquit, *Scientiarum magni nominis præceptoribus, in urbem Leo evocatis, Gymnaſium Romæ inſtauravit: Tantaque benignitate & amplitudine præmiorum, Literatos fovebat, ut omnes ad ſtudia excolenda, & PONTIFICIS MUNIFICENTIAM celebrandam accenderentur.* Libris imminet *Corona*. Corona ſecularis poteſtatis inſigne eſt. Denotat ergò Liberalitatem Leonis, quâ Patrimonium Divi Petri auxit, cujus rei memorandum exemplum ſuppeditat idem Oldoinus: *Mutinam*, inquit, *Alphonſo Ferrariæ Duce competitore, amplius 30. millibus aureorum ab Imperatore Maximiliano, cujus magna erat exhauſtis Ærariis indigentia, coëmit.* Juxta Coronam ſunt *Pedum Epiſcopale*, *Mitra*, & *Pileus* Cardinalium inſigne: Quid hæc? Annon ſtatum & perſonas Eccleſiaſticas denotant? De his ſunt ſequentia ex additione Oldoini: *Sacerdotes quoque, Religioſos viros, & ſacras virgines, quæ intra ſepta religiosè pudicitiam cuſtodirent, menſtruis ſubſidiis Eleemoſynæ nomine juvabat.* Ex quibus omnibus utique palam eſt, quod dixi, non in pompam tantùm & voluptates; ſed etiam, & quidem præcipuè, in Res Sacras Leonem liberalem fuiſſe, adeòque hanc ejus Liberalitatem rectè *Pontificiam* inſcribi, licet à tergo quædam etiam in inſtrumenta Muſica recidant. Sed unde Liberalitatis fomes? interrogavit NEARISTOZETUS: An reditus Pontificii ſuffecerint? Onuphrius docebit, reſpondit DULODORUS. Is, licet in fine aſſerat, Leonem ſacerdotium nullum unquam venale propoſuiſſe, paulò ante tamen, *pecuniæ quærendæ*, inquit, *cauſâ, quum multa tum ædificiis, tum effuſis largitionibus, & bellorum uſibus abſumſiſſet, pretio Cardinales aliquot legit, & officia quædam venalia excogitavit, ut cubicularios, ſcutiferos milites, S. Petri & Ripæ portionarios.* Et quid? An Tu neſcis, emiſſo Tezelio, venditisque indulgentiis, Eum totam ferè emunxiſſe Germaniam? Recordor, inquit NEARISTOZETUS, & benè res acta eſt; Nam fidibus canente LEONE, ſaltavit LUTHERUS. Cæterum & Muſico digna eſt facies, hilaris illa quidem, qualis Cantorem decet. De facie, reſpondit DULODORUS, eſt ejusdem Onuphrii teſtimonium: *Corpore*, inquit, *fuit procero, decora facie, naſo grandiore, oculis cæcutientibus & cæſiis, adſpectu grato & venerabili.* Sed quid notis inhæremus? Succedit


NUMISMA ARGENTEUM
ADRIANI VI. P. M.
ERUDITIONEM SPIRITU DEI ANIMATAM ADUMBRANS.



Res aperta eſt, inquit NEARISTOZETUS. Pontificis hujus Eruditionem, cum cœleſtis ſapientiæ dono conjunctam, famâ ſuâ orbem repleviſſe, Molinetus ait; Ob doctrinam enim, Lovanienſis Academiæ Cancellarius deſignatus, & Carolo V. Cæſari in Præceptorem traditus: Inde ſummus Hiſpaniæ Miniſter Regni clavum Eò abſente tenuit, donec tandem ad Supremam Pontificatûs Maximi dignitatem eveheretur: Adeò, ut in Numiſmate Pontificis doctrinam per *Libros*, Sapientiam autem per *Spiritum Sanctum* deſignari, rectè credas, qui ſpirat ubi vult, ut ſua dona infundat. *Ubi vult?* excepit DULODORUS. An tu credas hanc Pontificis mentem fuiſſe, cùm tamen Romano-Catholici operibus ſuis Spiritus ſancti dona ſe mereri poſſe contendant? De his ego non diſputabo, reſpondit NEARISTOZETUS. Diſputet Molinetus, cujus ea verba ſunt. Scio, inquit DULODORUS; ſed uti in hoc cum Scriptura ſancta, non ex fide ſuâ locutus videtur: ita & in reliquis mentem Pontificis, neſcio, an aſſecutus videri poſſit? Non enim Numiſma dicit, *Spiritum Sanctum eſſe Sapientiam*; ſed eſſe Spiritum Sapientiæ: Adeò, ut humanam Eruditionem Spiritu ſancto animatam jactet, non autem Sapientiam per Spiritum ſanctum, dicat, deſignari. Eruditio humana vulgo ſapientia dicitur, indeque & in Numiſmate per libros deſignatur; ſed ea ſapientia, niſi Spiritu ſancto animetur, quaſi mortua, certè vana eſt. Libros plures video, inquit NEARISTOZETUS. An diverſarum hi facultatem credantur? Id non abs re crediderìs, reſpondit DULODORUS; Ita enim de eo Onuphrius: *Liberalibus diſciplinis ſe totum ita dedit, ut brevi tempore inter Dialecticos, Philoſophos, Mathematicos & Theologos principem locum obtinuerit. Sed nec Pontificii juris expers fuit.* Hoc remigio Adrianus Pontificale culmen adſcendit; Sed puduit credo Romanos, quòd ſolo virtutis nomine, præteritis tot Illuſtriſſimis, ſuæ coronæ viris, ultrà Alpes, ex infima ſtirpe ſibi Pontificem acciviſſent: Hinc veneno quibusdam ſublatus credebatur, cùm annô unô, menſes octo, dies ſex, Pontificatui præfuiſſet. Sequitur

NUMI-

NUMISMA AUREUM
CLEMENTIS VII.
JUBILÆO INDICTO PORTAM AUREAM RESERANTIS.



Quod non obſcuritatis gratia produco, ſed ob Gloriam *Cimeliarchii Regio-Electoralis Brandenburgici*, quod aureum aſſervat, cùm Bonannus tot Cimeliarchiis excuſſis, non niſi æreum protulerit. Bonannus, excepit NEARISTOZETUS, inſcriptionem adverſæ ita legit: APERTÆ SUNT ET PORTÆ COELI. Sed quæsò DULODORE? Annon legendum: ET PORTÆ COELI APERTÆ SUNT? Fortaſſis, inquit ILLE; Eſt enim & illud juxta notandum, poſt vocem SUNT, non ſtellam, ut Bonannus in Commentario habet, ſed crucem eſſe expreſſam, id quod & Bonanni ſculptor ſecutus eſt: Quanquam nec Bonanni lectio rejicienda videatur, utpote typo non minus conveniens, utrinque ut innuatur; *non tantùm in terris portas aperiri*, ſed APERTAS ESSE ET PORTAS COELI. Mentem capio, inquit NEARISTOZETUS. Quid autem ſigni ſub Pontificis pedibus? nam hoc Bonannus non explicavit. Monogramma videtur, reſpondit DULODORUS, Artificis Nomen referens: Compoſitum ſcilicet ex J. V. & L. initialibus literis *Julii Romani*, quem Numiſmata ſub Clemente percuſſiſſe, Molinetus in præfatione author eſt. Initio Jubilei hic Nummus addicitur, excepit NEARISTOZETUS, & patet id ex voce HODIE; Eâ enim non tantùm *Natalis Chriſti* ſignificatur, ſed etiam *dies primus Jubilei*, quò Pontifex, ut in adverſa eſt, portam auream reſeravit. Stellam video, inquit DULODORUS, eamque ſuper Chriſto in præſepi jacente; quæ tamen non memoratur, niſi cum Magis. Adfuére autem Magi, non ipſo Chriſti Natali; ſed longò itinere confectò, cùm & Hieroſolymis inquirendo tempus triviſſent. Quid inde? excepit NEARISTOZETUS. Sub voce *Hodie*, reſpondit DULODORUS, non Diem nativitatis Chriſti intelligendam, ſed diem adventûs Magorum, quâ ſtella ſuper Chriſtum conſtitit; tunc enim verè ſalus facta eſt Mundo, cùm antea tantùm Genti Judæorum ea facta videretur. Et quàm concinnè hoc de Jubileo, quò & ipſò, ex Pontificiorum dogmate, peregrinis, qui retrò Pontificem ſupplices cernuntur, ex omni terrarum angulo Romam advenientibus, ſalus animarum venditatur? eâ potiſſimùm celebritate, quâ Pontifice Portam Auream, ut in adverſa eſt, aperiente, Petrus in Cœlo Portam Cœli recludere fingitur. An hoc orthodoxè? ſubjecit NEARISTOZETUS. An hoc coincidit cum illo Salvatoris: Matth. 16. v. 19. *Dabo tibi claves Regni Cœlorum, quicquid in terris ligaveris?* At Salvator hoc ad Petrum dixit, non quòd Petrus acturus ſit in Cœlo, quod Pontifex, Petri ex mente Pontificiorum ſucceſſor, in terris agit, ut Numiſma indicat; ſed quòd in Cœlo ratum futurum ſit, quicquid Petrus, & poſt eum

Legitimi Petri ſucceſſores in terris ligaturi aut ſoluturi eſſent. Id ex noſtra fide, reſpondit DULODORUS, & ex veritate. Numiſmati autem faviſſe videri poſſunt verba? *Dabo tibi claves Regni Cœlorum*, quæ licet myſticè intelligenda, Pontificiis tamen, & Authori Numiſmatis, propriè videntur ſumi. Sed prodit

NUMISMA ÆREUM
Ejusdem
CLEMENTIS VII. P. M.
cum
JOSEPHO FRATRIBUS IGNOSCENTE.



Annon, inquit NEARISTOZETVS, hic ille Pontifex eſt, quem Caroli V. Exercitus intra molem Hadriani concluſum obſedit? Is ipſe, reſpondit DVLODORVS; ſed quid inde? Averſæ claritas, reſpondit NEARISTOZETVS; Quis enim non videt, pace inſecutâ Pontificem inimicis veniam dantem hic adumbrari? non Columnenſibus tantùm, ſed & omni agminis hoſtilis factioni? De Columnenſibus, repoſuit DVLODORVS, ſubolfecit etiam Molinetus. Luckius autem ad Fœdus typum retulit, quod Clemens cum Anglo, Gallo, Venetis & Franciſco Sfortia contra Carolum V. anno 1526. inivit, Luckii ſententiæ, reſpondit NEARISTOZETVS, aſſertum Molineti prævalet; Quæ enim ſimilitudo inter Reges in fœdus cum Pontifice coëuntes, & Joſepho ſe fratribus, qui contra eum peccaverant, manifeſtante, & dulci *fratris* nomine metum nocentibus eximente? Rei ſeries, excepit DVLODORVS, etiam Molineti placitum rejicit. Veniam Columnenſibus datam, ſi Onuphrium audis, Clemens brevi revocavit, eosque inter Eccleſiæ hoſtes retulit, Pompejum ſenatoriâ dignitate, ademtò pilei rubri uſu, movit: addidit diras, aqua & igni interdixit, & armis perſecutus eſt, omnia eorum in Latio oppida, ad XIV. inſigni crudelitate diripuit incenditque, & in his Sublaqueum, Proprias Cardinalis delitias. Quid cenſes, NEARISTOZETE? An tale quid in fratres ſuos iis reconciliatus admiſit Joſephus? Ego, reſpondit ILLE, potius ad ſecundam Pontificis neceſſitatem reſpicerem, quâ, Româ denuò occupatâ, ipſe non tantùm in Caſtello obſeſſus, ſed & captus eſt; Tunc enim animo fractus, amicitiam non cum Columnenſibus tantùm, ſed & cum Cæſare ipſo renovavit, & deinceps infractâ uſus eſt. Ad recuperandam, qui ipſum offenderant, Regum & Populorum gratiam, oſtendendamque ſuam Clementiam, ritè utique cum Joſepho tunc dixerit: EGO SUM FRATER VESTER, Ille ſcilicet ipſe, quem in carcere, ut Joſephum in puteo, paulo antè necaturi eratis. Nimium ſe dimiſiſſet Pontifex, excepit DVLODORVS, ſe *fratrem* appellando, qui ſpiritualis *pater* erat. Neceſſitas, reſpondit NEARISTOZETVS,

hoc

hoc nomen potuit expreſſiſſe. Quanquam etiam ſat magnum arrogantiæ argumentum habitus eorum videatur, qui Pontifici, aut potius Joſepho, ſupplices ſunt. Recte ais, ſubjecit DULODORUS; Tales enim non hoſtes Pontifici, ſed Pontifex hoſti fuere: adeò ut & Hugo Moncata primò, quem Molinetus, ex Ciacconio, ſceleris impietate deterritum, pacem compoſuiſſe dicit, Onuphrio teſte, non niſi magnis Clementis precibus ad Colloquium venerit: Imò & poſtea Cæſariani, non, niſi magnâ pecuniæ vi deliniti ſint: Ipſeque Cæſar non, niſi obligatâ ſibi ſanctius Clementis fide, datisque in obſides V. Cardinalibus, in liberationem ejus conſenſerit. Quicquid ſit, perrexit NEARISTOZETVS, pace compoſitâ tamen omnes ad officium rediére, adeò ut nec ipſum Cæſarem coram Pontifice genu flectere puduerit; Jovio enim teſte, *ad Pontificis pedes flexo genu provolutus, ac mox dextrâ læti arridentisque Pontificis erectus ad oſculum: veni, inquit, Sanctiſſimè Pater, ad pedes Tuos, &c.* Quid tunc Pontifex? Annon ritè dixerit cum Joſepho, *Ego ſum frater veſter?* Accedat opinioni, ſubjecit DVLODORVS, quicunque voluerit. Mihi tamen cum Bonanno ſentire volupe eſt. Ad Florentinos is reſpicit, quorum *fratrem* ſe Pontifex ideò videtur appellare, quòd & ipſe Florentinus, adeòque eadem in patria natus fuiſſet. Florentini ſanè, licet Pontificem inſigniter læſiſſent, Mediceis, ſuis Principibus, quorum ex familiâ ipſe deſcenderat, urbe & patria ejectis & pulſis: Licet etiam enormi pertinaciâ, plurimisque facinoribus, contumelioſæ licentiæ pleniſſimis, culpam eò usque produxiſſent, ut omnis reconciliationis ſpes præciſa videretur; tamen, cùm Cæſaris armis & metu exitii ad pacem petendam adacti eſſent, in gratiam ſummo cum Pontificis gaudio recepti ſunt, urbe pauciſſimorum pœna, adeòque *temperatâ ſeveritate*, ut Jovius loquitur, pernicioſis civibus repurgatâ. Joſephus, excepit NEARISTOZETVS, fratribus pœnam non inflixit. Imò nec hic, reſpondit DVLODORVS, niſi cùm acriore objurgatione eas probaſſet, ad clementiam proceſſit. *Poculum*, quod pedibus appoſitum cernis, quodque Benjamini ſacco immiſerat, eum furti inſimulaturus, rem abundè demonſtrat. Typum autem ad Florentinos pertinere, vel ex punctis ſedili adjectis poteris arguere; proculdubio enim ad Mediceorum inſignia pertinent. Si hoc arbitraris, excepit NEARISTOZETVS, Ego ſub Joſepho, non tàm Pontificem, quàm Alexandrum Mediceum intelligerem, cui Principatus reſtitutus legitur. Numiſma Pontificis eſt, reſpondit DVLODORVS, indeque potiùs averſa de Hoc ſumenda, ſive Pacem Florentinis hoc typo ſuaſerit, id quod Clementiam venditando non ſemel feciſſe legitur: ſive clementer datam, quod ob ſupplices verius arbitror, ad poſteritatem eò commendaverit. Quanquam ne quid diſſimulem, etiam aliena merita ſuis Nummis interdum Pontifex hìc expreſſerit. Id ſanè arguit

NUMI-

NUMISMA ÆREUM EJUSDEM,

Cùm

REGE ET CAPTIVIS CIVITATIS AI Josuæ adductis.



Adulterinum hoc esse, excepit NEARISTOZETVS, teste Bonanno, Joh. Baptista Palatius affirmat. Et benè; Apertè enim aversa ad Carolum V. pertinet, cujus in Numismate apud Luckium prostat. Idem Caroli V. Numisma, respondit DULODORUS, & quidem aureum, etiam hoc ipso in Cimeliarchio Regio fulget. Sed notandum, Typum tunc ex Nummo Pontificis repetitum, Imperatorisque Victoriæ Tunetanæ applicatum esse, qui reverà ad Florentinos fuerat excogitatus; Neque enim ad Romanos referendus est, licet ad hos Bonannus abeat. Ad Florentinos, inquit NEARISTOZETUS, modò respeximus, an autem idem & hìc agendum sit, nescio, annon rectè dubitem? Quid enim? An Josephus cum fratribus etiam hìc expressus est? Id Bonannus arbitratur, respondit DULODORUS; sed minus accuratè. Non enim Josephus cum fratribus, sed *Josua* est, *cui Rex & Captivi Civitatis Ai* producuntur, ubi legere est in Codice Sacro Lib. Josuæ Cap. VIII. v. 23. Quid hi ad Pontificem? excepit NEARISTOZETUS. Ut clementia ejus eluceret, perrexit DULODORUS, Florentinique cernerent, quid meriti essent, si ex vigore juris bellici Pontifex agere voluisset: Idem scilicet, quod Civitas Ai, cujus Rex in Numismate Josuæ adducitur, cujusque Cives occisi, urbs combusta, divitiæ direptæ, & Rex suspensus memorantur. Regem in Numismate inter captivos non video, inquit NEARISTOZETUS. Is est, respondit DULODORUS, qui sub bracchio Josuæ protenso, coronâ radiatâ insignitur. *Coronâ* inquam *radiatâ*, quæ Regem apertè arguit, quæque licet hactenus observata non fuerit, tamen probè inspicienti obscura non est. Agnosco, inquit NEARISTOZETUS, adeòque historiam Josuæ de adducto ei Rege Ai, facilè assumerem. Quid autem hoc ad Florentinos, qui Regem non habuere? Habuére Dictatorem, respondit DULODORUS, Franciscum scilicet Carduccium, popularis seditionis acerbissimum ducem, qui ut cum reliquis complicibus, judicio Octovirorum, qui jus vitæ & necis, traditamque à Decurionibus habebant potestatem, capitali supplicio affectus est; ita & sub Rege urbis Ai, in Numismate expresso, ut intelligatur, non video quid obesse possit? Utut hæc sint, inquit NEARISTOZETUS, Josua tamen, quì Pontificis Maximi typus esse possit, non video; Quid? an Dux exercitùs, tam sancti in Ecclesiâ Patris? Josua, respondit DULODORUS, Dux exercitùs quidem fuit; sed

Exer-

Exercitûs Iſraelitárum, Populi ex omnibus à Deo ſelecti. Sed eſto! Alius ſub Joſua intelligatur; ſed talis, qui Pontificis auſpiciis rem geſſit, uti Joſua auſpiciis ipſius Dei uſus eſt. Si huc reſpicias, nonne Typus Pontificis Gloriæ, an ambitioni, conveniet? Conveniet omninò, reſpondit NEARISTOZETUS; Quis autem ille ſit, velim edoceas. Non alius, reſpondit DULODORUS, quàm Imperator Carolus V. Hujus enim armis Florentini ſuccubuére: adeò ut ſub hoc Joſuæ ſimulacro Carolus, & cum Carolo Pontifex, Florentinis idem videri poſſit exprobrare, quod in Diplomate apud Jovium facit: *Se urbem eorum, armis fameque perdomitam, jure optimo expugnare, atque militibus diripiendam tradere, imò etiam, non Dictatorem tantum & complices, quos ipſi in pœnitentiæ teſſeram necaſſent; ſed & univerſum Populum, ipſamque adeò urbem, ut rebellionis memoria tolleretur, exſcindere potuiſſe.* Victoriam ſanè indicat Laurea, toti in averſa Hiſtoriæ circumducta: Et victoriam Caroli V. contra Florentinos, evincit Aquila Lauream ferens, ſub inſigni Pontificio, in limbo Pluvialis ipſius Pontificis expreſſa: ut proindè nec de ingenuitate Numiſmatis impoſterum dubitari debeat; ſed ſimul intelligatur, non adeò abſurdè Typum eundem, qui hic in Nummo Clementis occurrit, poſt Pontificis mortem etiam Cæſari dicatum eſſe. De eo, excepit NEARISTOZETUS, videbimus infra. Mihi dubium ex anno naſcitur, Nummus ſignatus eſt annô Pontificatûs XI. adeòque ultimò, qui coincidit cum Anno Chriſti 1534. At victoria & pax cum Florentinis memoratur anno 1530. Ita eſt, reſpondit DULODORUS; ſed id Numiſmati non officit; Quid ni enim credamus, poſt aliquot demum annos Numiſma fuiſſe cuſum? cùm procul dubio Typi inventum, & cœlaturæ labor, aliquod temporis ſpatium abſumſerint. Ut taceam ad Cæſaris diploma Urbis ſtatum demum Anno 1531. reformatum fuiſſe, ut Jovius teſtatur: Et quid ſi Pontifex, recolendo Cæſaris memoriam hôc Typô, ſuſpicionem de ſe, *quaſi Galli amicitiam Cæſarianæ præferret*, videatur voluiſſe amovere? Prolixè ſanè tunc temporis teſtatum, ſe nunquam ejus fœderis & amicitiæ jura violaturum, Jovius author eſt. Duo, inquit NEARISTOZETUS, in Pontificis pectore Capita video. Hæc an Clementis & Caroli? An Caroli & Franciſci? Prius, reſpondit DULODORUS, vix dicerem, cùm Clemens, utpote longiore barba conſpicuus, ſiniſtram occuparet, quod Pontificem feciſſe, credibile non eſt. Si poſterius arbitreris, Carolum cum Franciſco, pace licet infidâ adhuc utentem, ideò in pectore Pontificis expreſſum putabis, ut indicetur, ſpiritualem hunc Parentem, utrumque, & Imperatorem & Regem æquâ benevolentiâ & complecti & curare: Quanquam fortaſſe verius hæc capita *Petri & Pauli* credantur, cùm Pontifices etiam in ſigillis ea exprimant, & Ipſe hic noſter Clemens, alio in Numiſmate, *caput Petri directum* hoc loco oſtenderit. Succedit.

NUMISMA ARGENTEUM
PAULI III. P. M.
Cum
RUFINA, ET TUSCULO RESTITUTO.



Rufinam, inquit NEARISTOZETUS, domum esse, quam apud Tusculum, nunc *Frescati*, suburbano recessui commodum, Paulus construi curaverit, Molinetus Author est. Idem ait: & ipsam urbem Tusculum, bellorum injuriis dirutam, eum reparasse, ejusque in beneficii monumentum, nummum hunc esse editum. Quid præterea desiderem? Et Origines & Fortunam, respondit DULODORUS, ultra quas ut numisma denuò proponam, literæ FV, iisque adjectum quoddam ædificium persuadent, quæ apud Molinetum exstant, in nostro autem non apparent, quamvis, quod fatendum, & Bonannus Numisma nostrum absque iis literis exhibuerit, sed ex ære, cum nostrum ex argenteo sit. Fortassis, inquit NEARISTOZETUS, apud Molinetum non FV, sed RV legendum erat, intelligendaque *Rufinella*, quam Mattheus Greuter Germanus in ære expressa, annoque 1620. edita Tusculi & circumjacentium villarum Topographia eò loci collocavit. Si arbitreris, respondit DULODORUS, etiam Rufinellæ author fuerit Paulus, sed hoc asserere vereor, cum Numisma nostrum An. XVI. & ita sub finem vitæ percussum in adversa legatur. Hoc autem me non augit. Tusculi potiùs antiquitatem veneror, cum à Telegono, Ulyssis & Circes filio, conditum esse luculento authorum testimonio Phil. Cluverius probet. Recordor, inquit NEARISTOZETUS, & quidem *Tusculanum* etiam *Ciceronis*, memoriam subit. Hoc nihil ad rem, excepit DULODORUS, cùm si Horatii Commentatori fides, in Odam primam Ἐπῳδῶν, ad latera montis fuerit, in quo Tusculum situm erat. At, inquit NEARISTOZETUS, Montis speciem etiam Numisma refert. Sed non montis latera, respondit DULODORUS, in quibus Villa Ciceronis; sed faciem anteriorem, in quo Tusculum & Rufina: quanquam forsan non abs re hodiernum Tusculum, quod in Nummo expressum est, vulgòque nunc *Frascati* vocatur, à veteri illo diversum statuas; Vetus enim in montis dorso situm fuisse, authorum idoneorum suffragiò constat, hodiernum autem, quod & in nummo contemplamur, ad montis radices jacet. Quicquid sit, inquit NEARISTOZETUS, amœnitas loci proculdubio Paulo causa fuit, ut Tusculum restitueret, Rufinamque conderet; nam video montem juxta Rufinam arboribus consitum. De amœnitate, respondit DULODORUS, dubium non est; Cur autem Paulus huic loco faverit, fortasse & inde intelligas quod Onuphrio docente, à Leone X. ex Diacono Cardinale S. Eustachii, Episcopus Cardinalis *Tusculanus* factus est. Locus ad rem facit, inquit NEARISTOZETUS, nec est, quod ultra quæram, modò de Numismatis ætate satisfacias. Anno Pontificatus XVI. id percussum ex Inscriptione noscitur, cùm tamen annos tantùm XV. Paulus legatur sedisse; Ita enim

enim Onuphrius: *E vita*, inquit, *diſceſſit anno à partu Virginis M DXLIX. ætatis LXXX. menſe VIII. die X. Pontificatûs verò XV. die XXIIX. &c.* Hæc Numiſmati non contradicunt, reſpondit DULODORUS, cùm utique poſt annum XV. die 28. adeòque anno Pontificatûs XVI. currente memoretur obiiſſe: Quô poſitô Numiſma, uti jam ſuprà monui, ſub vitæ exitum percuſſum fuerit; quanquam ne quid reticeam, alii non dies XXIIX. ſed Menſem I. & dies VII. ſupra XV. annos eum præfuiſſe ſtatuant. Audi Oldoinum in Additione ad Ciacconum: *Deceſſit quarto Idûs Novembris anni 1549. hora decima tertia, poſtquam vixiſſet annum unum, menſes octo, dies decem, ſupra octoginta. Plus tamen vitæ eidem nonnulli tribuunt, ac ſediſſet annos quindecim, menſem unum, dies ſeptem. Malè illi, qui dies tantùm viginti octo, ſupra quindecim annos, Paulo tribuunt.* Sed de his hactenus. Sequitur

NUMISMA ARGENTEUM
JULII III.
JUSTITIAM ET ANNONAM PONTIFICIAM JACTANTIS.



Annonam video, inquit NEARISTOZETUS, ſed cum Palladio ſtantem, qualiter apud Oldoinum & Molinetum & Bonannum, non ſub Julio Tertio, ſed ſub Gregorio XIII. proſtat. Eò rarius eſt hoc numiſma, reſpondit DULODORUS, oſtenditque rem expreſſam non Gregorio tantùm, ſed & Julio quadrare. De re, excepit NEARISTOZETUS, non tantùm Annona ſedens apud Molinetum, ſed & citatus Onuphrii locus edocent: *Quum urbs gravi frumenti inopiâ laboraret, tritico advecto famis incommoda, quantum potuit, ſublevavit.* Idem, reſpondit DULODORUS, etiam Ciacconius teſtatur: *Poſt hæc*, inquit, *Julius rebus urbanis intentus, Populo, ANNONÆ charitate & fame laboranti, miſſis in varias partes frumentatoribus, magnam frumenti copiam in urbem attulit, & inopiæ atque Civium incommodis occurrit.* Hæc Ciacconius, ex quo loco non tantùm ratio navis in Numiſmate expreſſæ, quam & Onuphrius tangit, ſed & tempus pateſcit; cùm enim in anterioribus de Concilio Tridentino locutus eſſet, quod anno 1551. inſtauratum eſt, ſubjecit immediatè Ciacconius: *Poſthæc populo annonæ* &c. Julius videlicet 8. Febr. anni 1550. Electus erat: anno 1551. ſive dignitatis ſuæ ſecundo, Concilium Tridentinum inſtauravit, & *poſthæc*, annò ſcilicet Pontificatûs III. qui & in Numiſmate noſtro ſignatus eſt, annonæ charitatem ſublevavit. Anno III. inquit NEARISTOZETUS, at in Numiſmate Molineti & Bonanni annus V. expreſſus eſt. Id nihil obſtat, reſpondit DULODORUS, ſive Numiſma tunc reſtitutum, ſive beneficium iteratum contendas. Cæterùm, quod Tu Palladium, in manu annonæ, arbitraris: id non Palladium, ſed ipſa Roma eſt, quam Annona Pontificia cùm ſublevâret, quid mirum, quòd ejus ſimulacrum in nummo extollat? His Ego

D 2 facilè

facilè aſſentior, inquit NEARISTOZETUS, ſed miror, unde Pontificis juſtitiam demonſtrare velis, cùm tamen ejus in nummo ne veſtigium quidem appareat. Imò apparet in fibula, inquit DULODORUS, pallium Pontificale ſuper pectus connectente. Exigua quidem eſt figura, ſed intentis oculis rem luſtranti fœmina cum bilance clariſſimè apparet, uti in Pallii limbo Pontifex Externorum Principum Legatos excipiens. Hæc ego ornamenta crediderim, inquit NEARISTOZETUS, ex ſculptoris genio elaborata. Imò baſin in hiſtoria habent, reſpondit DULODORUS, Onuphrio in teſte, non tantùm Pater Julii Juriſconſultus fuit; ſed & Julius Ipſe, juvenis adhuc, in Gymnaſiis juris, Peruſiæ & Senis, ante omnia Civili Pontificioque operam ſtrenuè navavit, indeque non vile elogium meruit, ut *Mirificus juſtitiæ & æquitatis cultor* audiret. Idem fermè Ciacconius: *Ante ipſum Pontificatum*, inquit, *ita juſtitiam conſtanter coluit Julius, & rerum civilium actionibus intentus adeò fuit, ut nullus eo diligentius, æquius, fidelius, aut laborioſius per multos annos in Romana Curia verſatus dignoſceretur.* Luculenta hæc ſunt juſtitiæ teſtimonia, excepit NEARISTOZETVS, quis autem de Legatis receptis? Idem Onuphrius, reſpondit DVLODORVS: *Eodem anno* (Jubilei ſcilicet, ſive biennio ante Numiſma percuſſum,) *Catholicorum omnium Principum & Rerumpublicarum Oratores, publicis in Conſiſtoriis, vetere Romanæ Eccleſiæ inſtituto, ad præſtandam ſibi obedientiam admiſit.* Non placet opinio, excepit NEARISTOZETVS; Quod enim hìc Conſiſtorii veſtigium? Et quæ ratio, ut factum ante biennium, cum facto poſteriore conjungatur? At, inquit DVLODORVS, etiam juſtitia hìc cum annona conjungitur, quanquam non tàm in Pontificatu, quàm ante Pontificatum Juſtitiam coluerit, *in Pontificatu*, vel Onuphrio teſte, *minus rerum diligens*, ſed ſi hæc opinio minus placet, poteris Pontificem, Romanorum de annonæ charitate querelas audientem, hìc adumbratum credere. Mihi ea res parvo in diſcrimine ponitur. Ipſam potius Pontificis faciem intueor, de qua Onuphrius: *Fuit Julius ſtaturâ procerus*, inquit, *facie ſubagreſti, prolixa barba, naſo grandiore, ore paululum contracto, acri oculorum intuitu, ut facilis in excandeſcendo, ſic irâ ſtatim depoſitâ mitiſſimus.* Sed

NUMISMA ARGENTEUM
MARCELLI II,
CLAVES REGNI COELORUM A CHRISTO RECIPIENTIS,



Nos vocat, non tàm proponendum, quòd à Molineto diverſi quid contineat, quam ob Elegantiam & diverſitatem à Bonanno, qui æreum publicavit, Petrumque ROMA ſubſcripſit. Petrum video, inquit NEARISTOZETVS, & quidem claves à Chriſto recipientem, ſed non Marcellum. Rectè vides, reſpondit DVLODORVS; Sed Petri ſucceſſores Pontifices eſſe, tota utique

Ponti-

Pontifici ſubjecta ratio clamat. Ego de hoc non diſputabo. Illud autem negandum non eſt, ſi quisquam Pontificum, dignum ſe Petri ſucceſſorem geſſit, certè Marcellum II. id intendiſſe. Audi verba, quæ ad Comitia properans, ad Peruſiæ Prætorem Michaelem Turrianum, Epiſcopum Cenetenſem fudiſſe, Onuphrio memoratur! *Fieri poſſe, ut is Pontifex Maximus Dei benignitate afflictæ Eccleſiæ concederetur, qui veteres illos ſanctos Pontifices, martyrii, doctrinæ, & ſanctitatis gloria illuſtres, imitaretur, ea ex officio agens, quæ Chriſti in terris Vicario convenirent.* Quibus verbis, quin ſe ipſum indigitaverit, dubitari non debet; eodem enim teſte, *præfulgebat ſanctitate, moribus, & doctrina, ſic ut ejus vita omnium cenſura haberi poſſet.* Egregia laus! excepit NEARISTOZETUS, & dignus Pontifex, qui Eccleſiæ æternum præeſſet. Præmatura mors ei claves excuſſit, reſpondit DULODORUS, die Pontificatus 22. mortuus eſt, *honeſto aliâs corporis cultu, facie decorus, ore venerabilis, ſtaturâ procerus, corpore gracili, capillo ſubrufo, ſuperciliis diſparibus atque altero paulo eminentiore.* Horum pleraque, inquit NEARISTOZETUS, etiam in Numiſmate apparent; Quid autem ornamenti in veſtitu? an Ara? eique adſtantes precantium more manus tendunt? Id ipſum, reſpondit DULODORUS: Et procul dubio, ut Pontificis ſanctitas adumbretur, cujus magnum ſpecimen in tam corrupto ſæculo reluxiſſe, eôdem authore docemur. Succedit

NUMISMA ARGENTEUM
PII IV.
SECURITATEM POPULI ROMANI SPONDENTIS.



Securitas quadratæ baſi inſidet, inquit NEARISTOZETUS, eôdem pietatis ornamentô inſignitæ, quod modò in Marcelli Pallio vidimus. Quid hoc rei eſt? An pietate ſuâ, Populi Romani ſecuritatem Pius Pontifex, hoc ſchemate, innuerit nixam? Fortaſſis, reſpondit DULODORUS; idem enim & aram juxta ſecuritatem poſuit. Nominis hæc index eſſe poterit, repoſuit NEARISTOZETUS. Imò & rei, reſpondit DULODORUS, ita enim de eo Onuphrius: *Ex presbytero Cardinale tituli SANCTÆ PRISCÆ potiſſimè electus eſt Romanus Pontifex, qui ſuâ humanitate & clementiâ urbem Romam, ſuperiore bellô afflictam, recrearet: quam ſpem corfirmare omninò & augere viſus eſt PII nomine ſibi inditô:* Spei hoc teſtimonium eſt, excepit NEARISTOZETUS: Quid autem de re? An veniam Populo Romano condonatam eorum licebit in medium adferre, quæ in Pauli IV. marmoreum ſimulacrum patraverat? Hoc ab initio Pontificatûs factum eſt, reſpondit DULODORUS, Numiſma autem Anno IV. percuſſum eſſe, ex Inſcriptione patet. Mihi potiùs ad propoſitum id facere videtur, quod Onuphrius in ſequentibus narrat: *Carcerum & Cuſtodum ſalaria limitavit, extorſioues coërcuit, Homicidas, homines*

ficarios, facinerosos, & cæteros hujusmodi, qui à Magistratibus absoluti non fuissent, Pii II. Xysti IV. Innocentii VIII. Julii II. Clementis VII. legibus repetitis, urbe & omni ecclesiasticâ ditione exegit: illorum absolutiones multis difficultatibus interjectis difficiliores reddidit: Sclopetos, qui duorum Palmorum mensuram non excederent, prohibuit: Asyla omnia, quæ tam in Cardinalium & Principum Legatorum ædibus, quàm alibi in urbe erant, sustulit: & contra eos, qui publicis Lictoribus sese opponerent, & Juridicorum edicta contemnerent, gravia decreta promulgavit. Quid videtur, NEARISTOZETE? Qui hæc egit, nonne videbitur securitati Populi Romani consuluisse? Idem certè, qui hic securitatem Populi Romani jactat, idem & in Vaticano Palatio, primo & secundo fornici, Oldoino teste, sequentia inscripsit:

PIUS. IV. MEDICES. PONT. MAX. MEDIOLANENSIS.
PACIS. AUCTOR. ET. CUSTOS.
PARATA. SECURITATE. RERUM. OMNIUM. COPIAM. ET. UBERTATEM. INTRODUXIT.

Res aperta est, inquit NEARISTOZETUS, sed Numisma, nisi fallor, vulgare. Sub aliis forsan, respondit DULODORUS; nam occurrit sub Paulo III. & iterum sub Gregorio XIII. Sub Pio IV. autem apud Molinetum non prostat; Bonannus quidem exhibuit, sed æreum, eaque mihi causa justissima visa est, ut denuò producerem. Sequuntur

NUMISMATA ÆREA
Ejusdem
PII IV.
RELIGIONIS CHRISTIANÆ CONCORDIAM, ET PORTAM PIAM ADUMBRANTIA.



Primum Numisma, excepit NEARISTOZETUS, ad Concilium Tridentinum spectare, author est Molinetus; Molineto subscripsit & Bonannus, licet sub Paulo III. ad Hospitale & Monasterium, pro Neophytis & Catechumenis à Paulo III. fundatum, lemma reduxerat. Mihi typus ad ipsum Pontificem spectare visus est, apologiam scilicet exhibens contra id, quod Onuphrius ait: *PIUM, qui hactenus humanus, patiens, beneficus, gratus, mitis, pecuniæ minimè cupidus, existimatus fuerat, inito Pontificatu derepente naturam mutasse, & statim alie-*

alienam personam, alienos mores induisse visum. Arguta conjectura est, respondit DULODORUS, & fateor inscriptionem fortasse id indicare posse. Cùm autem figuræ, à latere sinistro Numismatis anterioris, apertè *Pauli* & *Petri* Apostolorum sint, auscultantiumque habitum præferant, quid alter à latere dextro ex libro, quem tenet, legat? omninò arbitrer, Religionis concordiam hîc adumbrari, quæ inter Ecclesias Orientis & Occidentis jam inde ab Apostolis fuerit, cujusque respectu Ecclesia, cujus simulacrum in medio dextram attollit, hæc verba ad Christum, Religionis Christianæ & auspicem & basin, pronunciet: TU AUTEM ILLE IPSE ES, ac si diceret: Tu CHRISTE, quem hic in Oriente prædicari audimus, Tu idem ipse es, qui & prædicaris in Occidente! Tu CHRISTE, qui ab initio Apostolis apparuisti, Tu idem ipse es, qui hodiè adhuc utroque in Mundi hemisphærio celebraris! hâcque constantiâ & concordiâ mihi, Ecclesiæ Tuæ, constat unitas, quam pii omnes profitentur & agnoscunt. Hæc, inquit NEARISTOZETUS, si ita cogitaverit Pontifex, non culpaverim; quid autem, si in medio non Ecclesia, sed Christus credatur? Ne sic quidem malè, respondit DULODORUS, poterunt enim Eum subscriptis verbis alloqui videri utrinque confidentes. De Ecclesiis certè Occidentis & Orientis suffragatur Historia. Nosti, NEARISTOZETE, quid de Patriarcha Chaldæorum Onuphrius scribat: *Per id tempus*, inquit, *Abdisu id est Servus Jesu, Christianorum Orientalium, trans Euphratem commorantium, maximus Patriarcha, vir doctus, Chaldaicis Arabicis, & Assyriis literis ornatus, cujus jurisdictio interiores usque ad Indos penetrat, Romam Apostolorum limina & Pontificem salutaturus, cum aliquot sociis, longissimo itinere pervenit, ut ab eo confirmatus Pallium de corpore Sancti Petri susciperet. Pontifici ablatus ei perpetuam obedientiam promisit, & per interpretem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem professus est, cujus syngrapha, in Concilii Tridentini sessione XXII. lecta, ejusmodi fuit: Confessus sum puro corde, & fide non ficta, coram Reverendissimis DD. Michaele tituli S. Sabinæ Alexandrino, & M. Antonio tituli S. Marcelli Amulio, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteris Cardinalibus, in hanc formam: Ego Abdisu, filius Johannis, de domo Marcia, ex civitate Gezira in Tigridi flumine, olim Monachus Sancti Antonii, Monasterii Sanctorum Rochæ & Johannis fratrum, electus Primas sive Patriarcha civitatis Muzalæ in Assyria Orientali, Juro, quòd ita corde credo, & ore confiteor Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem, approbatis omnibus & singulis illis, quæ ipsa approbat, & damnatis similiter omnibus, quæ damnat, amplector & promitto, & omnes fratres meos Metropolitas, sive Episcopos sive Diocesanos, meæ jurisdictioni subjectos, ita tenendum & credendum esse docebo, & modis omnibus, pro quibus potero, persuadere conabor. Ita me Deus amet, & hæc sancta Dei Evangelia! In quorum fidem hanc meam fidei professionem & attestationem manu meâ scripsi, &c. Actum Romæ die VII. Martii anno MDLXII. De multis & difficillimis quæstionibus interrogatus, scitè respondit: Cunctos veteris novique Testamenti libros, antiquos Græcos, Latinosque Patres, quibus nos Catholici utimur, Chaldaicâ, Assyricâ & Arabicâ Linguâ versos, & alios nobis ignotos, quos memoriter tenebat, se legisse dixit: Cunctos ferè S.R.E. ritus & Sacramenta apud suos servari docebat: Fidem Christi ab Apostolis Thoma Thaddæo, ipsorumque discipulo Marco, majores suos accepisse, & hodiè retinere, professus est.* Luculenta est hæc narratio, inquit NEARISTOZETUS. Si huc Numisma referendum censeas, procul dubio, uti à latere sinistro Paulus & Petrus, Occidentis scilicet Apostoli: ita à latere dextro Thomas Thaddæus, Ejusque Discipulus, Marcus aliique Orientis erunt: ita ut fidem horum hoc schemate signifi-

ſignificet, ab illis examinatam, & ſimul probatam. Rem tenes, inquit DULODORUS, eòque faciliùs nunc aſſequeris, quid in ſecundo Numiſmate poſt inſcriptionem capitis PIUS IIII. PON. MAX. adjectæ literæ O. P. ſignificent? Procul dubio enim, ſi non OPTIMUS PRINCEPS aut PATER, tamen ORBIS PATER explicabuntur. Quidni Optimus Pontifex? excepit NEARISTOZETUS. Pontificis vocabulum iteratum non crederem, reſpondit DULODORUS: Cæterum ad Portam Piam, quæ hîc repræſentatur, facit Oldoinus: *Viam & Portam*, inquit, *quæ priſcis temporibus NOMENTANA dicebatur, à Pio in ampliorem reſtitutam formam, PIAM ipſe appellari voluit, hâc in marmore ſculptâ memoriâ:*

PIUS IIII. PONT. MAX.
PORTAM PIAM
SUBLATA NOMENTANA EXSTRUXIT.
VIAM PIAM
ÆQUATA ALTA SEMITA DUXIT.

Hæc ex Molineto recordor, inquit NEARISTOZETUS. De proſopographia velim addas. Talis eſt apud Onuphrium, reſpondit DULODORUS: *Staturâ fuit juſtâ, fronte latâ, oculis cæruleis, adſpectu obliquô, nasô eminenti & rubidô, barbâ mediocri, habitudine corporis pinguiore, ſed non in facie aut inceſſu dignitas: in riſum magis, quàm tanti magiſtratûs gradus expoſceret, aliquando pronus.* Sed ad alia tranſimus. En

NUMISMATA ARGENTEA
PII V.
PAULUM IV. ET VICTORIAM DE TURCIS DIVINAM CELEBRANTIS.



Hæc rara non ſunt, inquit NEARISTOZETUS. Recenſet Molinetus, quanquam nullò idonei Authoris teſtimoniò. Et quid opus erat: reſpondit DULODORUS, apertâ Pii V. ex ipſis nummis gratitudine, illic quidem in Paulum, hîc in Deum? At volupe fuiſſet, excepit NEARISTOZETUS, rem penitius noſſe; Quæ enim merita Pauli in Pium? & quid Deo acceptum referat Pontifex, quod humanis viribus partum erat? Parcius iſta! regeſſit DULODORUS. Sine Deo humanum robur nihil eſt; Ut tamen de

de utroque tibi ſatisfaciam, quod & Bonannus potuiſſet, qui utrumque Numiſma ex ære publicavit, demonſtremque, fuiſſe Pio noſtro cauſam, cur & PAULO gratias haberet, & DEO, Authorum verba ſubjiciam: De meritis Pauli in Pium ita Oldoinus: *Anno 1551. à Johanne Petro Caraſſa* (is ipſe hic eſt, qui poſtea Paulus IIII.) *Cardinale Neapolitano, inter ſanctæ Inquiſitionis Cardinales præpoſitos primas tenente, cui Fr. Michaelis* (is eſt, qui poſtea Pius V.) *Virtus & in eô genere induſtria ac labores non erant ignoti, Julio III. permittente, de aliorum collegarum conſilio, Generalis Commiſſarius Inquiſitionis eligitur, à quo etiam renunciato Pontifice, & PAULO IV. dicto, Epiſcopus primo Nepeſinus & Sutrinus invitus electus, & per triennium & amplius eam rexit Eccleſiam. Anno poſtea ſalutis 1557. Pontificatûs ſecundo, die Lunæ Idibus Martii, presbyter Cardinalis titulo S. Mariæ ſuper Minervam, poſtea S. Sabinæ & ſanctæ Inquiſitionis ſupremus Inquiſitor deputatus eſt.* Magna hæc merita, inquit NEARISTOZETUS, & numiſmate digniſſima; Non numiſmate tantùm, reſpondit DULODORUS, imò & aliis beneficiis gratitudinem ſuam teſtatus eſt PIUS: Ita enim Ciacconius: *Carraſſas à Pio IV. damnatos, ad honorum & dignitatum jura admittendos, examinatâ rurſus eorum causâ, judicavit, ex quorum familia Antonium ſibi notum, & virtute probatum virum, purpuræ honore decoravit. Utque ſe PAULI IV. MEMORIÆ GRATUM oſtenderet, monumentum marmoreum, ad Minervæ templum cum Sacello conſtruxit, ſex millibus aureis inſumptis, annuô reditu aſſignatô, ut per ſingulos annos ſolennes Pontifici Paulo exequiæ ſolverentur.* Magnificum, inquit NEARISTOZETUS, oportet, fuerit hoc Pauli monumentum. Videri id poteſt apud Oldoinum, reſpondit DULODORUS, & quidem non tantùm Pontificis ſedentis ſimulacro, aliiſque ornamentis; ſed & ſequenti inſcriptione magnificum:

JESU. CHRISTO. SPEI. ET. VITÆ. FIDELIUM.
PAULO. IIII. CARRAFÆ. PONT. MAXIMO.
ELOQUENTIA. DOCTRINA. SAPIENTIA. SINGULARI.
INNOCENTIA. LIBERALITATE. ANIMI. MAGNITUDINE. PRÆSTANTI.
SCELERUM. VINDICI. INTEGERRIMO.
CATHOLICÆ. FIDEI. ACERRIMO. PROPUGNATORI.
PIUS. V. PONTIFEX. MAXIMUS.
GRATI. ET. PII. ANIMI. MONUMENTUM.
POSUIT.
VIXIT. ANNOS. LXXXIII. MENSES. I. DIES. XX. OBIIT. MDLIX.
XVIII. KAL. SEPT. PONT. SUI. ANNO. V.

Hæc benè ſe habent, inquit NEARISTOZETUS, & eò mihi gratiora ſunt, quò apertius & rationem ſuggerunt, cur OPT. MAXIMUS in nummo appellatur. Sed de effigie adhuc vellem addas; Ea enim in Numiſmate præcipuè conſideranda eſt. De effigie, reſpondit DULODORUS, imò & de tota PAULI proſopographia ſunt ſequentia Onuphrii verba: *Fuit Paulus IV. ſtaturâ magnâ, corpore gracili, ore ſubtriſti & minaci, vultu macro, oculis introrſus recedentibus, & vehementi obtutu ſcintillantibus, naſo parvo, rarâ & brevi barbâ.* Sed quid opus eſt proſopographiâ, cùm tamen Numiſma eam clariſſimè monſtret?

Ad ſecundum Numiſma progredior, inquit NEARISTOZETUS, Triremes in eo video, adeoque lubet quærere, an talibus Victoria fuerit parta? an Pontificis fuerint? & quot? De omnibus docebit Onuphrius, reſpondit DULODORUS: *Coierunt*, inquit, *fœderatorum claſſis in Sicilia, Meſſanæ*

E portu,

portu, initôque ibi numero, compertum est, Venetos habuisse Triremes centum, Quinqueremes sex, & duas oblongas naves, præter biremes, Myoparones, aliaque minora navigia. M. Antonius Columna, præfectus Pontificius, duodecim Triremibus, & Johannes Austriacus, classis totius Imperator, cum Johanne Andrea Aurea, octodecim Triremibus & viginti duabus navibus, inter quas erant tres Melitensium Triremes, imperabat. In universa hac classe Italorum, Germanorum, & Hispanorum viginti millia reperta sunt, exceptis lixis, Calonibus, & aliis ministris. Trecenti præterea nobiles, qui propriis stipendiis militatum venerant. Christianorum robur, interlocutus est NEARISTOZETUS, satis magnum fuit; sed quantum Turcarum? Id ex cladibus noscas, respondit DULODORUS. *Ex classe inimica*, pergit idem Author, *centum septendecim triremes, Tredecim, quas Galeottas vocant, integræ, nulla parte laceræ, in Christianorum potestatem venerunt: Octingenta circiter Triremes, Quinqueremes, & Biremes, perforatæ, depressæ, aut incensæ perierunt: Quadraginta circiter omnis generis naves fugâ elapsæ, tantæ cladis nuncium retulerunt. Inventæ sunt in captis navibus centum & sexdecim maximæ machinæ bellicæ, ducentæ quinquaginta sex minores. Perierunt triginta duo Turcarum millia, atque inter eos multi magni nominis Principes belli duces, provinciarum Gubernatores: Plures, quàm ter mille, & quingenti in servitutem abrepti sunt, &c.* Major numerus, subjecit NEARISTOZETUS, ut video, Turcarum periit, quàm Christianorum fuit; Sed miror, victoriam hanc solitò victoriæ symbolò adumbratam, qualiter ferè in nummis Augusti visitur. Quid? an hoc ex pietate Pontificis? Pietatem Pontificis, respondit DULODORUS, in Cruce & Calice agnoveris, indeque fortasse Victoriam hanc, Angelum potiùs arbitraberis. Quanquam quid prohibet etiam Victoriam, sed Christianis symbolis instructam, statuere? Ingeniosè certè Pontifex Victoriam ex Nummis Augusti, Victoriæ Christianorum adhibuerit, innuens, quod & Onuphrius ait, *istâ Naumachiâ ab Augusti Imperatoris tempore, hôc locô, imò in toto mari mediterraneo, majorem & celebriorem non fuisse.* At, inquit NEARISTOZETUS, an tanta Classis Christianæ pietas fuit, ut Victoria hæc Cruce & Calice fuerit ornanda? Si Panvinium audis, inquit DULODORUS, fuit; Ipse enim Pontifex cum audisset, clades in Cypro acceptas, *ardentissimis precibus Deum invocavit, quò tandem potenti suâ dexterâ sceleratissimi hostis audaciam comprimeret.* Inde cùm omnia ad expectationem instituta essent, *adhibitæ sunt variæ exhortationes, quibus milites ad Christianè vivendum incitabantur. Optimi quoque constituti modi, ut orationibus, & vitæ pietate, cum fiducia fortitudinem adeò flagitarent, quò tandem vires Turcicas cum illorum ignominia Christique gloria possent enervare. Ipse etiam Johannes Austriacus & Columna, duabus vecti triremibus, omnes ac singulas naves accedebant, ipsaque in ordinem, qualis necessarius, redigebant, milites quoque ad intrepidè pugnandum, & cum ardore, pro fide Christi, aut vincendum aut fortiter occumbendum, hortabantur. Capucini & Patres Societates Jesu, quorum ordinum multi religiosi per classem erant, distributi, omni quoque devotione & sanctissimis verbis milites animosos reddiderant, ut impavidi adversus inimicos Dei arma sumerent, eosque ad internecionem delerent.* Hæc quidem ad pietatem admonitio fuerunt, reposuit NEARISTOZETUS. Quid autem milites? *Omnes*, persequitur DULODORUS, eôdem teste, *paulò ante peccata sua sacerdotibus erant confessi, & cum viderent Vexillum CRUCIS erectum cum piis affectibus ad eosdem sacerdotes confugerunt, indulgentiam peccatorum suorum petentes, & se Deo commendari flagitantes.* Agnosco rationem Crucis & Calicis, inquit

NEA-

NEARISTOZETUS, nec dubium eſt, cum hæc præceſſerint, partam Victoriam Deo fuiſſe adscriptam, cum Numiſma id apertè arguat. Imò & Onuphrius teſtatur, reſpondit DULODORUS. *Per totum Chriſtianiſmum*, inquit, *ob incredibilem hanc Victoriam feſti dies agebantur, magna inſtituta ſolemnia, & in iis DEO VINDICI actæ ſunt gratiæ. Venetiis quoque Nummi cuſi ſunt, cum hac inſcriptione :*

ANNO MAGNÆ NAVALIS VICTORIÆ DEI GRATIA CONTRA TURCAS.

Quâ inſcriptione Senatus ille magnificentiſſimus inſinuare voluit, victoriam hanc non ſuis viribus partam, ſed miraculosè A DEO DATAM fuiſſe. Hæc Veneti, excepit NEARISTOZETUS, ſed nobis de Pontifice ſermo eſt. Etiam de hoc author teſtatur, perrexit DULODORUS. *Non tantùm illi*, inquit, *ſed omnes etiam Chriſtiani, & præſertim PONTIFEX hanc Deo acceptam referebat, eique cum ſumma devotione gratias agebat.* Non abs ratione, inquit NEARISTOZETUS; niſi fallor in ipſo navalis pugnæ conflictu Chriſtus, Redemtor noſter, & ſancti Apoſtoli Petrus & Paulus angelorum agmine ſtipati, ſtrictis gladiis Turcis minitantes, in ſublimi aëre conſtitére. Ciacconius fabellam habet, reſpondit DULODORUS, nititurque Turcarum captivorum confeſſione eam adſtruere; ſed inde ortam crediderim, quòd Pontifex noſter cum prælium in Vaticano coloribus adumbrandum curaret, in aëre Chriſtum fulmen jaculantem, Petrum & Paulum gladios ſtringentes, cum innumera angelorum, fulmina jaculantium, turba ab uno latere: ab alio autem Inferos fugientes expreſſit. Schema exhibet Oldoinus ad Ciacconium à Baptiſta de Cavaleriis æneis tabulis expreſſum. Si hæc ita ſint, inquit NEARISTOZETUS, fulmen jaculantem Chriſtum etiam in nummo agnoverim. Sive Chriſtum, reſpondit DULODORUS, ſive Deum Patrem, perinde eſt; utrinque enim quadrat inſcriptio, quæ invento anſam dedit: DEXTERA TUA DOMINE PERCUSSIT INIMICUM. Sed notis plus ſatis inhæſimus. Literæ F. P. ſub Pontifice expreſſæ artificis nomen indicant, *Franciſcum* ſcilicet *Parmenſem*, qui Numiſma procuderit. Succedit

NUMISMA ÆREUM
Ejusdem
PII V. P. M.



Quod minus benè, & apud Molinetum, & apud Bonannum illuſtratur. Minus benè? Excepit NEARISTOZETUS. Quâ autem in re? In averſa, reſpondit DULODORUS; Molinetus enim ad *Judæum Eliam* typum refert, qui, teſte Ciacconio, cùm prædives eſſet, ſæpiùs à Pio, adhuc Cardinale, ad fidem Chriſtianam amplectendam invitatus, tunc ſe id facturam pollicitus eſt, ſi

si Pius Romanæ sedis fastigium conscendisset. Pio igitur Pontifice, promissi Judæus memor, Baptismum flagitavit, ac cum tribus filiis, & nepote, die 3. Pentecostes in Vaticana Basilica, Cardinalibus præsentibus, & nonnullis patrinorum munere fungentibus, ab ipso Pio accepit, *Michael*que nominatus est. Quid hæc ad nummum? Non video, excepit NEARISTOZETUS. Molinetus, perrexit DULODORUS, Judæos Neophytos hìc arbitratur moneri, ut in fide perseverent, NE QUID DETERIUS IPSIS CONTINGAT, si Christianos ritus dimittentes in pristinos errores relabantur, Synagogam Ecclesiæ præferentes. Numerus opinioni contrariatur, excepit NEARISTOZETUS. Elias cum tribus filiis & uno Nepote, *quinque* personas constituunt; sed in Nummo, si benè video, *novem* coram Christo procumbunt. Numerus personarum, respondit DULODORUS, si aliud non esset, placitum non everteret; Quid enim impedit, ut & illi annumerentur, qui exemplum Eliæ secuti, & ipsi ad Catechismum accessere? Quid igitur est? subjecit NEARISTOZETUS. Inscriptio non quadrat, respondit DULODORUS; apertè enim malum aliquod præsupponit: & quidem malum fortunæ, à quo liberati, & coram Christo procumbentes, ad frugem & pietatis ardorem vocantur, NE QUID DETERIUS IIS CONTINGAT: Quod autem malum fortunæ Judæis contigerat? Divitibus, & Aulæ Romanæ non ignotis? Ratio verisimilis est, subjecit NEARISTOZETUS. Quid autem Bonannus? An & ipse ex hoc fundamento Molinetum rejicit? Nihil minus, respondit DULODORUS. Potius ejus opinionem valere posse arbitratur, ideò autem, quòd tempus ignoretur, quò Numisma percussum fuerit, arbitratur, sibi licere, Clementiam Pontificis in eo recognoscere, quâ injurias reis remittens, illas ne relaberentur, paternè monuit: id quod vel exemplis demonstrat, in quibus tamen nec ipsis malum fortunæ præcessit, cùm Pontificis clementia, licet reos, tamen impunitos dimiserit. Aliud adhuc, excepit NEARISTOZETUS, Bonanni peccatum videtur. Tempus Numismatis, ait, ignorari; Sed ego de hoc valdè dubitem. Nonne retrò Pontificis effigiem expresse dicitur, Anno VI. id percussum esse? Hoc benè observas, inquit DULODORUS, & inde Lux Numismati affulget clarissima; Idem enim annus in eo argenteo visitur, cujus in aversa victoria de Turcis, ad Naupactum abtenta, adumbratur, de quo modò locuti sumus. Quid hæc convenientia? Nonne apertè arguit, etiam hoc Numisma ad eam victoriam pertinere? Victoriæ hoc in Nummo nulla mentio est, inquit NEARISTOZETUS: Ut taceam, victoriam illam Anno Pontificis nostri V. esse obtentam. Id nihil impedit, respondit DULODORUS, ut Numisma ejus memoriam commendans annò sequenti percussum credi possit: multò minus ut credi possit annò eòdem, V.tum scilicet Regiminis Pii V. sequente, percussum esse & propositum, quod captivos, captivitate Turcicâ liberatos, exhibet. Hos sanè cum liberati essent, quis Christo liberatori gratias tulisse non credat? Quis miretur, si Christus, & sub Christo Pontifex, eos ad pietatem hortetur, sub comminatione: NE QVID DEXTERIUS ipsis CONTINGAT? Deterius sc. captivitate, ex qua liberati proculdubio ad pedes Christi, & quidni etiam ad Pontificis, Christi ad Romano-Catholicorum opinionem in Terris Vicarii? procubuére. Ad pedes Pontificis sanè, vix nisi annò Victoriam sequente, potuére procumbère. Et quid temporis abstulit Numismatis fabrica? At, inquit NEARISTOZETUS, an tantùm Pontificis hoc in bello meritum fuit, ut & Libertatis captivorum Gloriam sibi vindicare potuerit? Omninò, respondit DULODORUS; Id enim Historia ubique

ubique docet, & longum foret iterare. In fidem rei Inſcriptionem addo, quæ inter alias in Mariæ Majoris Baſilicâ, ſacraque æde, ſive ſacello, à Pio V. regiâ ſtructurâ ædificatâ, Marmori inciſa legitur talis:

SELINUM. TURCARUM. TYRANNUM. MULTIS. INSOLENTEM. VICTORIIS. INGENTI. PARATA. CLASSE. CYPROQUE. EXPUGNATA. CHRISTIANIS. EXTREMA. MINITANTEM. PIUS. V. FOEDERE. CUM. PHILIPPO. II. HISPANIARUM. REGE. AC. REP. VENETA. INITO. M. ANTONIUM. COLUMNAM. PONTIFICIÆ. CLASSI. PRÆFICIENS. AD. ECHINADES. HOSTIBUS. XXX. MILL. CÆSIS. X. MILL. IN. POTESTATEM. REDACTUS. TRIREMIBUS. CLXXX. CAPTIS. XC. DEMERSIS. XV. MILL. CHRISTIANIS. A. SERVITUTE. LIBERATIS. PRECIBUS. ET. ARMIS. DEVICIT.

Prodeunt

NUMISMATA ÆREA
Ejusdem
PII V.
PONTIFICIS OFFICIUM EXPRIMENTIA.




Duo hæc Numiſmata, inquit NEARISTOZETUS, apud Molinetum ſub Pio V. non habentur. Eo rariora ſunt, inquit DULODORUS, quanquam in reliquis occurrant, imò & apud Bonannum proſtent, nec typorum obſcuritate laborent. Primum, inquit NEARISTOZETUS, proculdubio ad hæreticos pertinet, quos Pium acriter perſecutum ex Onuphrio conſtat: *hæreſium exſtirpationi, & hæreticorum exterminationi, ſtudebat Pontifex.* Hanc Numiſmatis mentem eſſe, reſpondit DULODORUS, fortaſſe non abs re credideris; ſed poterit typus etiam ad corruptos Clericorum mores reduci, quos à Pio correctos, Oldoini teſtimonio conſtat: *In Petri ſede*, inquit, *collocatus Pius, nihil habuit antiquius, quàm ſacroſanctæ religionis cultum, omniumque ordinum, ſed Cleri præſertim, mores ad priſtinum ſplendorem revocare, &c.* Egit id exemplo Pauli IV. ſub quo typus hic Molineto, imò & Bonanno exhibetur. Quam vellem, inquit NEARISTOZETUS, hoc in Romana Eccleſia ſeriò ad effectum deduci; Si enim, quod Chriſtus egit, vendentes & ementes inde ejicerentur, ubi Pontifex cum toto Clero? annon horum vel maxima ars eſt, emere & vendere? De eo nunc non quærimus, reſpondit DULODORUS. De ſenſu Numiſmatis ſolliciti ſumus, quò ipſe Pontifex typum procuderit. Sanè ad venditiones ſacrorum, quæ in Romana Eccleſia receptæ ſunt, vix eſt ut credi poſſit reſpexiſſe. Cæterum ut in hoc Pontificis Zelum contemplamur, ita in ſecundo contemplamur pietatem; Ut enim fluctibus contra naviculam ſurgentibus, Petrus cum comitibus, Chriſti auxilium imploravit, quod in nummo exprimitur: ita & Pium V. ſurgentibus contra Eccleſiam bellorum procellis, ad preces confugiſſe,

fugiſſe,

fugiſſe, hoc ſymbolo innuitur. Et quid ſi etiam hîc ad hæreticos reſpexit? Non dixerim, excepit NEARISTOZETUS; fluctus enim extra naviculam ſunt, hæretici autem in Eccleſia credebantur, quos Pontifex non metuit. Imò, reſpondit DULODORUS, navem Eccleſiæ Romanæ oppugnantes etiam metuit, & contra eos oravit. Nonne recordaris bella Hugenottorum in Gallia? At hos à ſe devictos Henricus Rex Galliæ Pii precibus adſcripſit; Ita enim Oldoinus: *Henricus Galliarum Rex obtentâ Hæreticorum victoriâ, equeſtria ſigna duodecim ex iis, quæ prælio capta fuerant, ad Pium Pontificem transmiſit, per Oratorem ſuum in publico Cardinalium conſeſſu teſtatus, HANC SE DEO VICTORIAM PII PRECIBUS INTERCEDENTIBUS ACCEPTAM REFERRE.* Ad Turcam reſpiciebam, excepit NEARISTOZETUS; cùm enim Hic Orbi Chriſtiano gravis eſſet, Onuphrio teſte, Pontifex Pius, ut Deum, cujus potenti manu hoſtes fidei debellantur & profligantur, pacaret, ejusque opem & auxilium afflictis Chriſtianorum rebus impetraret, Jubilæum promulgavit, & celeberrimam ſupplicationem inſtituit, cui ipſe tam devotè incedens pedibus interfuit, ut ſpectatores ad ſimilem devotionem permoveret? Factum id eſt, reſpondit DULODORUS, Solymanno in Ungaria Sigethum oppugnante ab initio Pontificatûs; Numiſma autem anno IV. percuſſum eſt, adeòque incidit in eum, quo Hugenotti in Gallia fuére devicti, quibus poſitis utique patet, ad motus, non Turcarum, ſed Huguenottorum Numiſma reſpicere. Aſſentior, inquit NEARISTOZETUS. Quid autem eſt, quòd in fibula, pallium Pontificale connectente, vel caput vel hominem ligatum conſpicio? Caput, reſpondit DULODORUS, *Petri* videtur. Homo ligatus *Chriſtum* refert. Illud legitimam ſucceſſionem ſignificat, Hic autem pietatis objectum eſt, quæ etiam ex reliquis ornamentis patet, in quibus vel precantes ad aram viſuntur, vel ipſe Pontifex Chriſtum ſupplex adorat. Non ſilenda Oldoini verba. *Quos Chriſtus Dominus noſter acerbiſſimos pro nobis pertulit cruciatus, jugi pene memoria piè recolebat, ob idque ipſius Salvatoris de Cruce pendentes effigiem coram habere conſueverat, Apoſtolicis hiſce verbis inſcriptis: ABSIT MIHI GLORIARI, NISI IN CRUCE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. Atque hinc uſus obtinuit, ut imaginem ejusmodi ob oculos habens depingi ſoleat.* Subit


NUMISMA ÆREUM
GREGORII XIII. P. M.
Ob
HUGENOTTORUM IN GALLIA STRAGEM PERCUSSUM.



Stragem Hugenottorum, inquit NEARISTOZETUS, juſſu Caroli IX. Regis Galliarum Die S. Bartholemæi 1572. Pariſiis factam, licet ut nimiæ crudelitatis, &

& conſilii præcipitis facinus, alii reprehendant, Pontificem tamen hoc Numiſmate approbaſſe ac laudaſſe, ait Molinetus, tribuitque factum Zelo, quo erga *Chriſtianam* Religionem is flagraverit. *Pontificiam* volebat dicere, inquit DULODORUS, Chriſtianam enim etiam Hugenotti profitebantur. Cæterum, ut illud Molinetus rectè, quod facinus per Angelum cœleſtis iræ perpetratum, Pontificem aſſeruit crediſſe; ita illud & ipſe ex nimio pro Religione ſua zelo, quòd Hugenottorum Religionem *Sectam* & *Luem* appellat, *quæ Veneno ſuo Galliam infecerit:* Bonannus non mitiore calamo *Rebellium Calvinianorum ſtragem* appellavit. Nos his diluendis nunc non laboramus. Notandum potius, procul dubio Pontificem hôc typô ad factum Angeli reſpexiſſe, quô exercitus Regis Senacherib concidit. Centum & octoginta millia, inquit NEARISTOZETUS, ſub Senacherib cecidere: Quot autem ſub Carolo? Vix minor numerus, inquit DULODORUS, ipſe enim, in literis ad Pontificem Gregorium, *ſeptuaginta millia paucis diebus ſe confeciſſe* gloriatus eſt, & quot perierant bellis? Mirum, inquit NEARISTOZETUS, Pontificem factum probaſſe? Et cum probaverit, in ejus vita non memorari? Ipſos Romano Catholicos ejus puduit, inquit DULODORUS, uti videre eſt, apud Thuanum, qui *Diem illum faſtis delendum* judicat. Pontificem autem Numiſmate facinus æternitati ſacraſſe, mirum non eſt, cùm ingentibus auri & argenti ſummis bellum contra Hugenottos legatur foviſſe: ſcilicet, ſi non aliud contra Pontificios, illud certè vel maximum, & ſufficiens perverſæ Eccleſiæ argumentum eſſet, quòd cædibus & ſanguine ſua placita propagare ſatagit, apertè contra Servatoris præceptum, qui etiam Zizaniam ad meſſem usque tolerandam cenſuit; Imò & fruſtrà, cùm hæreſes eſſe oportere, etiam S. Paulus pronunciaverit. Sed hæc alii fuſius. Ad notitiam angeli, qui cladis Hugenotorum author fertur, Caroli exitus conſideretur, de quo infra ad ejus Numiſmata latior erit dicendi campus. Sequuntur

NUMISMATA ARGENTEA
GREGORII XIII. P. M.
ANNO JUBILÆI PORTAM AUREAM RESERANTIS.



Portam aperit Pontifex, excepit NEARISTOZETUS, idque ſolenni ritu & aureo malleo, id quod ſub exordium Jubilæi ſolebat. Rem capis, inquit DULODO-

LODORUS. At, perrexit NEARISTOZETUS, si Pontifex ipse hoc fecit, ut ex Numismate quidem liquet, & etiam Molinetus affirmat, quomodo in sequenti inscriptione res Cardinali Morono adscribitur?

> GREGORIO. XIII. P. M. FELICITER. SEDENTE. ATQUE. MANDANTE. PORTAM. HANC. SUB. JULIO. III. TEMPORE. JUBILEI. APERTAM. ET. CLAUSAM. D. JOHANNES. MORONUS. CARDINALIS. ET. EPISCOPUS. OSTIENSIS. ATQUE. HUJUS. CONGREGATIONIS. PROTECTOR. ET. PATER. SOLENNITER. APERUIT. ANNO. DOMINI. MDLXXV. DIE. XXIII. DECEMB. ET. SUB. EODEM. DIE. ITERUM. ANNO. ELAPSO. D. ALEXAND. FARNESIUS. CARD. ET. EPISC. TUSCULANUS. FELICISSIME. CLAUSIT.

Dubium quod moves, inquit DULODORUS, Victorellus dissipabit: Ita ille in addendis: *Ut insignis celebritas*, de Jubilæo loquitur, *magis enitesceret, Gregorius Cardinales ad pietatem hortatus est: Die Natalem Dei præcedente, ante vesperas nobili supplicatione ad Portam sanctam accessit, eam ter malleo ictam aperuit, & Basilicam illam cum Cardinalibus ingressus est: Cardinalis Moronus Collegii Princeps, sancti Pauli, via Ostiensi: M. Antonius Columna, Altaempsii Archipresbyteri ægrotantis vices implens, S. Joannis Lateranensis: Alexander Sfortia Archipresbyter, S. Mariæ Majoris Portas sacras à Gregorio missi aperuerunt.* Vides, NEARISTOZETE, aliam fuisse Portam, quam Moronus aperuit: & aliam, quam Pontifex; Quatuor enim Basilicarum *portæ* aperiri solebant, *Vaticanæ* scilicet, quam Pontifex: *S. Pauli in via Ostiensi: S. Johannis Lateranensis*: & *Sanctæ Mariæ Majoris*, quas per alios aperiebat. Cæterùm, an Inscriptio illa probè excepta fuerit, meritò dubites; apud Oldoinum enim, ex quo ea refertur, ab initio GREGORIUS legitur, quod cum sequentibus non cohæret: Ita & de anno dubium est, cum inscriptio annum MDLXXV. habeat, cujus die XXIII. Decembris porta fuerit aperta, cùm tamen id dicto die anni præcedentis factum fuerit. Hæc chronologis relicta sint, inquit NEARISTOZETUS, Mihi autem quærere lubet, quò fine insignis hæc solennitas fuerit instituta? Ut significetur, respondit DULODORUS, Portam Cœli pœnitentibus apertam esse; id enim significat subscriptio, DOMUS DEI, & PORTA COELI: Id Christus in nubibus cum angelis circumvolitantibus: id Populi juxta portam supplices, sub quibus non Romanos tantùm intelliges; sed & omnium Populorum advenas, Arabes etiam, Græcos, aliosque Orientales. Tantus scilicet hôc Jubilæò Romam confluxus fuit, ut, Victorello teste, septem & octo peregrinantium millia sæpè eòdem die hospitalis domus sanctissimæ Trinitatis exceperit. Laudanda pietas, inquit NEARISTOZETUS, si jussu Dei res niteretur: cùm autem hominum inventum sit, nescio quid judicandum sit. Factum inquirimus, respondit DULODORUS, non justitiam; Quicquid autem sit, negandum tamen non est, inter Protestantes, simul cum ceremoniis etiam pietatis ardorem refriguisse. Sed aliud se sistit, non tam Zeli & Sanctimoniæ Episcopalis, quàm Providentiæ Principalis indicium. En

NUMI-


NUMISMA ÆREUM
EJUSDEM
OB RESTITUTUM ANNI AD SIDERA CALCULUM PERCUSSUM.



Caput Arietis, inquit NEARISTOZETUS, intra Draconem ANNO RESTITUTO MDLXXXII. inscribitur. Quid? an annum 1582. restituit? Non hunc tantùm, respondit DULODORUS, sed etiam cum hoc omnes sequentes; Calendarium enim correxit, & ne imposterum mutari posset, sedulò providit. Historiam videsis apud Cicarellam, in ejus vita. Eam hîc iterandam eò minus judico, quò notius nobis est hoc meritum ex ipso Calendario Gregoriano, quò hodieque utuntur Romano-Catholici omnes. Decem hoc, inquit NEARISTOZETUS, diebus à Juliano differt. Decem illos dies, respondit DULODORUS, à Sole Julianum recesserat, inde ortâ differentiâ, quòd cum annus 365. diebus & sex horis demptis aliquot minutis impleatur, Julianum minuta illa neglexerat. Gregorius igitur, ut malo consuleret, dies illos decem, ex neglectis minutis ortos, sustulit, & ut imposterum error vitaretur, statuit non solum bissextum quarto quoque anno continuari; sed etiam ut quarto quoque sæculo una dies mensi Februario adderetur. Hæc apud Molinetum legisse memini, inquit NEARISTOZETUS, non minus ac rationem capitis Arietini floribus ornati: Areis scilicet Æquinoctium Vernum denotat; incipit enim, cum Sol signum Arietis ingreditur. Addere posses, inquit DULODORUS, ideò hîc Caput arietinum expressum esse, quia Princeps signorum aries sit, ut alibi monui. Cæterùm non flores tantùm, sed & fructus ab hoc Arietis capite dependent, ut totius scilicet anni fertilitas significetur. Hæc benè, inquit NEARISTOZETUS; Sed miror, cùm Caput Arietis Gregorius in Numismate expresserit, ab ingressu tamen Solis in Arietem Eum calculum non duxisse. Sanè, si hoc fecisset, non tantùm apices naturales Anno dedisset; sed & menses suis quoscunque signis vindicasset, qui nunc ne dimidiati quidem iis subsunt, cùm tamen eorum asterismos apertè præferant Concinnius sanè ipso Solis in Arietem ingressu primum diem Martii: in taurum, primum diem Aprilis: & sic in cæteris, numeraremus. Julio Cæsari hoc objiciendum fuisset, respondit DULODORUS; Gregorius enim non novum Calendarium condidit; sed Julianum ad suos apices restituit. At, inquit NEARISTOZETUS, cur hoc non observatum in Diæta Imperiali Ratisponensi, cùm de mutando Calendario agentibus, Gregorianum Libertati Germanorum præjudicare videretur? Nonne hac ratione potuissent & scopulum vitare? & gloriosius instituto defungi? Cave credas, respondit DULODORUS. Tot Illustria Germanici Imperii sidera, Tot excellentes Mathematici, qui negotium hoc ordinârunt, procul dubio nihil sine gravi causâ statuére. Ego quidem

dubio huic Tibi eximendo impar ſum; ſed Aſtronomi procul dubio ex aſſe ſatisfacient, quos proindè conſulendos Tibi ſuadeo. Ego ad Draconem tranſeo, qui, ut ex inſignibus Pontificis Gentilitiis deſumtus, ita in Gyrum ductus, & caudam apprehendens, non tam æternitatis, ut alii credunt, quàm Anni ſymbolum eſt, adeòque non tàm durationem meriti, quàm ipſum meritum adumbrat. Quis rei author? inquit NEARISTOZETUS. Pierius Valerianus, reſpondit DULODORUS; Is enim Hierogl. L. XIV. c. VIII. in fine. *Sed nos,* inquit, *ad anguem noſtrum revertamur, quo ſuper animadverti, plerosque figuram ejus in orbem circumducti, & caudam nunc occultantis, nunc admordentis, nunc depaſcentis, confundere, quod ita diſtinguendum eſt: Quæcunque de Mundi annique varietate reciprocationeque dicta ſunt, ea per caudæ morſum intelliguntur; Sed enim cùm æternitatem, ſive, ut nonnulli malunt, ævum ſæculumve ſignificabant, Serpentem pingebant caudâ tantùm ſub corpus, ita ut deliteſceret, reductâ. Sic enim circuitus ille perpetuus intelligebatur.* Acquieſco, inquit NEARISTOZETUS, ſed ea omninò conditione, ut etiam ad adverſam quædam aſpergas in ea enim Pontificis proſopograhia & ornamenta ſtolæ conſideranda ſunt. Inter ornamenta ſtolæ, reſpondit DULODORUS, præcipuum eſt, Chriſtus ſuper mari ambulans, Petrumque, ad eum ex navi accedentem, ſublevans. De proſopographia, ſufficiat, quod Cicarella tradit: *Aſpectu placidum fuiſſe, & Majeſtate plenum.* Nos coronidis loco Numiſmatum horum artificem veneramur, cujus nomen *Laurentius Parmenſis* in plerisque legitur, tranſimusque ad

NUMISMA REUM
SIXTI V. P. M.
OBELISCUM QUARTUM A SE ERECTUM JACTANTIS.



Obeliſcum Quartum? excepit NEARISTOZETUS, quinam igitur fuére tres priores? Ex Ciacconio diſcas, reſpondit DULODORUS: *Obeliſcos,* inquit, *Sixtus QUATUOR, vetuſtate diffractos, refecit, & ante Baſilicas Principis Apoſtolorum S. Mariæ Majoris, S. Johannis Lateranenſis, nec non S. Mariæ del Popolo erexit, & ſanctiſſimo Crucis ſigno dicavit.* De omnibus his ſi plura deſideres, Victorelli additiones conſule: Si ipſos contemplari volupe eſt, adi Kircherum, qui & ære expreſſos, & commentario illuſtratos publicavit. De reliquis, inquit NEARISTOZETUS, id ἄτοπον hic foret. De quarto autem, quem in Nummo conſpicimus, quidni Victorellum audiamus? Verba ſubjicio, inquit DULODORUS: *Hunc,* inquit, *Semneſertei Ægypti Regis Obeliſcum, Ægyptiacis literis nobilem, Heliopoli Romam, Cæſare Auguſto jubente, advectum, & in Circo Maximo Soli ſacratum, Sixtus Cruci Dominicæ ſacravit.* Quas ſubjicio inſcriptiones narrationi lucem afferunt:

IMP.

IMP. CÆSAR. DIVI. F.
AUGUSTUS.
PONTIFEX. MAXIMUS.
IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV.
ÆGYPTO. IN. POTESTATEM.
POPULI. ROMANI. REDACTA.
SOLI. DONUM. DEDIT.

❁ ❁ ❁

SIXTUS. V. PONT. MAX.
OBELISCUM. HUNC.
A. CÆSARE. AUG. SOLI.
IN. CIRCO. MAXIMO. RITU.
DICATUM. IMPIO.
MISERANDA. RUINA.
FRACTUM. OBRUTUMQ.
ERUI. TRANSFERRI.
CRUCIQ. INVICTISS.
DEDICARI. JUSSIT.
AN. M. D. LXXXIX. PONT. IIII.

❁ ❁ ❁

ANTE. SACRAM.
ILLIUS. ÆDEM.
AUGUSTIOR.
LATIORQ. SARGO.
CUJUS. EX. UTERO.
VIRGINALI.
AUG. IMPERANTE.
SOL. JUSTITIÆ.
EXORTUS. EST.

Infanas Obelifcorum moles, inquit NEARISTOZETUS, hodiénum miratur Orbis; fed ego humanum ingenium miror, quòd tantas moles transferre & erigere potuit. Sub Sixto V. refpondit DULODORUS, id Architecti *Dominici Fontanæ* induftriâ peractum eft. Ipfius imaginem, fimul cum Machinis, quibus ufus fuit, videre poteris ære expreffas à *Joh. Guerra Mutinenfi*, unde poftea & Kircherus defumfit. Cæterùm, ut annò Pontificatûs IV. hoc factum eft, ita anno V. Numifma percuffum; ita enim conciliari debent anni, in Numifmate expreffi. Sub ftola Pontificis, fubjecit NEARISTOZETUS, adhuc literas video: NI. BONIS, nifi fallor. Sculptoris nomen adumbrant, refpondit DULODORUS, legique debent NICOLAUS BONIS, uti docet Claudius de Molinet, in Præfatione. Sed his relictis pergimus ad

NUMISMATA ARGENTEA
CLEMENTIS VIII. P. M.
Ob
CONVERSIONEM GENTIUM, ET JUBILÆUM PERCUSSA.



Nihil hìc de Conversione Gentium, inquit NEARISTOZETUS. Petrus cernitur in nomine Dei rete ejiciens, & Piscium, ut in Evangelio est, ingentem multitudinem capiens, id quod Molinetus & Bonannus ad primordia referunt, innuente Pontifice, se Ecclesiæ regimen suscepisse, non de suis præsumentem meritis, aut in suis confidentem viribus; sed in sola Dei virtute, & *in verbo ejus*, in quo qui sperat, non confundatur. Hanc Molineti sententiam esse, inquit DULODORUS, non ignoro: Cùm autem in Nummo Annus Pontificatûs VI. expressus sit, typusque juxta apertè capturam fidelium, qui sub Piscibus intelliguntur, adumbret, omninò Ego ad Missionem quandam hìc alludi crediderim, quæ Pontificis authoritate fuerit instituta. Et quid si *Mendicantium Ordo* tangatur, cujus religiosis iter in Indiam Clemens permisit? Quid si Congregatio Propagandæ Fidei, cujus ille prima principia jecit? De utroque videri potest additio Oldoini ad Ciacconium. De priore digna sunt verba, quæ adjiciantur: *Non tantùm, quæ proxima erant, curabat Clemens; sed etiam de remotissimis, pro UNIVERSALIS PASTORIS munere sollicitus, cùm, postquam fides Christi annunciari Japonibus cœpisset, Gregorius XIII. considerans id ministerio & operâ religiosorum Societatis Jesu factum fuisse, hâc, aliisque de causis motus, sub gravibus pœnis probibuisset, ne qui cujuscunque gradûs, conditionis, ordinis, tàm Sæculares quàm Regulares, ad Provincias Japonicas Evangelii prædicandi, vel doctrinam Christianam docendi, aut Sacramenta ministrandi, aliave munia Ecclesiastica obeundi causâ, sine suâ & Sedis Apostolicæ expressâ licentiâ proficisci auderent: jam inde Clemens, ut ipsemet prædictâ suâ constitutione narrat, à Philippo Portugalliæ & Algarbiæ Rege Catholico monitus, ad eas aliasque vicinas regiones, ac provincias amplissimas, Orientalis Indiæ, ad fidem traducendas, & spiritualibus alimentis fovendas, plures ministros necessarios esse, quàm ex sola Societate Jesu haberi possent, omnibus & singulis Mendicantium Ordinum Superioribus Generalibus concessit, ut cùm necessitas postularet, Ordinum suorum spectatæ vitæ & eruditionis religiosos, ad prædicta ministeria idoneos, per Lusitaniam duntaxat, & susceptâ inde navigatione in Indias & Civitatem Goam, atque ad superiores Ordinum in illis partibus existentes transmittere, ac tam ipsi sic transmittendi, quàm alii in iisdem Indiarum partibus existentes, ad id electi, tàm ad Japonicas, quàm ad alias proximas & adjacentes, etiam Chinæ & finitimorum, ac terræ firmæ, Indiæ Orientalis Insulas, regiones, & provincias accedere possent, monitis salutaribus additis, quibus ii in ejusmodi missionibus se gerere debeant, &c.* Hactenus Oldoinus. Et ad primum Numisma abundè, respondit NEARISTO-

STOZETUS, quid autem ad ſecundum? neque enim arbitror quicquam in eo obſcurum eſt, cùm Porta Jubilæum deſignet, adſcriptusque annus MDC. de eo dubitari non ſinat. Numiſmatis à Molineto & Bonanno diverſitas, inquit DULODORUS, etiam per ſe jam claro locum facit. Juvabit tamen ſequentia ex Victorello adſcribere: *Pervigilio Dominicæ Circumciſionis Clemens Portam ſanctam aperuit: quod pervigilio Natalis libenter feciſſet (ex more) ſi per chiragram licuiſſet.* Succedit

NUMISMA ARGENTEUM
Ejusdem
CLEMENTIS VIII.
MUNUS PASTORITIUM ADUMBRANS.



Licet in eo Molineti ſententiam amplectar. Pontifex ſanè hîc tanquam Petri ſucceſſor, & accepto à Chriſto mandato, ut oves paſceret, cum Auguſtino videtur orare: DA QUOD JUBES. Id ab initio ſi fecerit, inquit NEARISTOZETUS, mirum non eſt. In Numiſmate autem annus XII. expreſſus eſt. Res talis eſt, reſpondit DULODORUS, quam ſingulis annis, imò & diebus & horis, orare Pontificem convenit. Anno autem XII. id Clemens eò ardentius procul dubio fecit, quò majores eò annò ubique turbæ agitabantur. Jacobus Jeſuitas Anglia pepulit. Iidem ex Gallia pulſi, ad Pontificis inſtantiam vix in quædam oppida recipiebantur. In Belgio durabant inter Pontificios & Proteſtantes bella. In Germania Papiſtici ritus paſſim abrogabantur. In Hungaria Boſchcajus ſurgebat, ut reliqua taceam: Quibus omnibus adactus Pontifex, quid mirum ſi oraverit: *Da Chriſte, quod jubes!* An Clemens, excepit NEARISTOZETUS, tam fidelis Paſtor fuit? Si hiſtoriis credis, reſpondit DULODORUS, fuit; Ita enim de eo Cicarella: *Princeps erat iis animi dotibus præditus, quæ in ſummo Viro, & Univerſali Paſtore deſiderari poſſunt.* Prodit

NUMISMA ÆREUM
LEONIS XI. P. M.
FAMÆ POST FATA DULCEDINEM CELEBRANS.




Molinetus, imò & Bonannus, aliter, excepit NEARISTOZETUS. Ad humani-

manitatem ac manſuetudinem, cum innata magnanimitate, quæ genti Mediceæ competit, conjunctam hoc Numiſma referunt; eam enim rectè per examen apum, in ore Leonis à Samſone inventum, arbitrantur deſignari. Si hæc ita ſint, reſpondit DULODORUS, ad Pontificem vivum hæc averſa pertinebit. Ad vivum autem pertinere non poſſe, apertè utique arguit Leo mortuus; Quomodò enim hic Pontificis vivi, & quidem cognominus, ſymbolum foret? Præmatura ſanè mors, quæ ne menſem quidem ſolium Pontificale ei conceſſit, ſententiæ noſtræ favet, famæ poſt fata dulcedinem hic agnoſcenti: idque eò magis, quò notior ejus virtus, etiam poſt mortem dulcedinis ſuæ gratiam diffudit; Niſi fortaſſe ſub Leone, non Pontificem, ſed Chriſtum, Leonem de Tribu Judæ agnoſcas, adeòque Pontificis Pietatem venereris, quòd ex Chriſti morte dulcedinem animæ hauriendam, non ipſe tantùm crediderit, ſed & aliis perſuaſerit. Tertia ratio mihi in mentem venit, inquit NEARISTOZETUS. Notum eſt, mortuorum cineres & oſſa miraculorum feracia Romano-Catholicis credi: Quidni igitur tale quid, de mortui Pontificis cadavere, etiam hic indigitetur? Fortaſſe, reſpondit DULODORUS, licet non de omnibus, ſed de Sanctis tantùm id arbitrentur: Leonem autem in Sanctorum numerum adſcriptum non meminerim. Adde quod nec unicum ejus poſt mortem miraculum legatur; Unde tutius vel in pietate, vel quod verius arbitror, in famæ poſt fata dulcedine ſubſtiteris, quod nihil de hoc Pontifice, niſi laudandum, Authores memorent. Unicam Inſcriptionem ſubjicio, quam Oldoinus ex Franciſco Suvertio protulit:

LEONI. XI. PONT. OPT. MAX.
QUOD. GENTILITIAM. LEONIS. X.
BENEFICENTIAM. PROPAGAT.
URBANAM. MAGNIFICENTIAM
ADAUGET.
MEMORIAM. AUGUSTIOREM. FACIT.
FLORENTISSIMUM. MEDICEÆ. CULMEN.
GLORIÆ.
URBIS. ÆTERNÆ. ACCLAMATIONE.
PERPETUAT.
S. P. Q. R.

Sed de his hactenus. Sequitur

NUMISMA AUREUM
PAULI V.
Cum
PEDILAVIO CHRISTI.



Pedilavium, excepit NEARISTOZETUS, etiam Bonannus publicavit. Sed nec

nec iisdem cum propoſito figuris, reſpondit DULODORUS, nec eodem ex Metallo, nec denique eodem de anno. Annum ſuo Numiſmati XVI. aſſignat in indice, cum noſtrum annò primò percuſſum ſit: Metallum æs facit, cùm noſtrum auro puriſſimo radiet: Figuras aliter diſponit,& ſine ædificio: Inſcriptionem in baſi, non in circulo exhibet: Annum Chriſti planè omittit. Hæc annon ſufficiant, ut Numiſmati locum demus? Sufficiunt, excepit NEARISTOZETUS; ſed res expreſſæ obſcuræ non videntur. Imò eſſent, reſpondit DULODORUS, niſi Spartam hanc Bonannus præcepiſſet. Luculenter is,non quidem ſub Paulo V. ſed ſub Pio V. de Pedilavio diſſeruit, eam ſolennitatem à tempore Chriſti in Eccleſiâ conſtanter arbitratus duraſſe, licet Authorum ſuffragio id adſtrui non poſſit: docet & de ordine, an Petrus primus fuerit? cum alii Judam primum faciant: & de Chriſti habitu,an ſedens,an genibus flexis pedes laverit? Item de Pelvi,quæ hodiè argentea eſt, cùm Chriſti fuerit ærea: tandemque & de inſtituti rationibus, ſigno dilectionis, exemplo humilitatis, & ſignificatu Myſterii, lotione videlicet affectuum. Tranſeant hæc, inquit NEARISTOZETUS; quanquam fortaſſe & mutuum Chriſtianorum auxilium connotetur; ita enim Chriſtus ipſe rem explicat, apud Joh. 13. Εἰ ἐγὼ ἔνιψα ὑμῶν τὰς πόδας ὁ Κύριος καὶ ὁ διδάσκαλος, καὶ ὑμεῖς ὀφείλετε ἀλλήλων νίπτειν τὰς πόδας,&c. Sed nondum perſpicio,quomodo hiſtoria hæc Pontifici applicarì poſſit? Si enim pediſlavium Pontificis deſignetur, ſub Chriſto intelligetur Pontifex, adeòque res non laudi, ſed ſuperbiæ cedet; ſi deſignetur pedilavium Chriſti, quod & figuris exprimitur, cedit contemtui, quòd ipſe Pontifex,quem aliàs errare non poſſe contendunt, lotione affectuum neceſſe habeat. Neutrum dixeris, reſpondit DULODORUS; Exemplum hic tantùm, adeòque ipſum Chriſti pedilavium exprimitur, non autem typus myſticus pedilavium Pontificis adumbrans: Ita ſoli Chriſto applicari debet inſcriptio: Tu DOMINUS ET MAGISTER, non Pontifici. Pontifices Chriſti humilitatem videri volunt imitari,non Gloriam: Petrum peccatis mundum referre, non pollutum. Alterum dubium ſubit, inquit NEARISTOZETUS. In adverſa annum Pontificatûs *Primum* video: & in averſa annum Chriſti MDCVI. cùm tamen Paulus Anno MDCV. fuerit electus, qui proindè non immeritò ejus *primus* diceretur. Paulus, reſpondit DULODORUS, electus eſt Anno MDCV. quidem,ſed die 16. Maji. Duravit igitur primus ejus annus uſque ad diem 16. Maji Anni MDCVI. Et hinc conſtat, Numiſma ſub anni primi finem percuſſum eſſe; Sed his miſſis Adverſam inſpicimus, ad quam ex aſſe ſuffecerint Pauli & laudes & proſopographia. Has ſequentibus Ciacconii illuſtrare volupe erit: *Cardinalis Perronius*, inquit, *& Anonymus Scriptor, qui fortè idem eſt, nonnullas Pauli, Pontificis declarati, laudes recenſuerunt: Eum Libertatis & Auctoritatis Apoſtolicæ cuſtodem: Eum Virum purum, innocentem, irreprehenſibilem, inſignis exempli: doctrinâ, prudentiâ, & rerum uſu, tantæ dignitati congruente præditum, appellarunt. Spondanus magnum rerum uſum, divini honoris & Eccleſiaſticæ libertatis zelum, ſingularem morum comitatem, placidam in omnes beneficentiam, mores incorruptiſſimos in eo agnovit. Alii in liberali Corporis forma & ſpecie, in membrorum robore, firma valetudine vallato, animum magnarum rerum capacem, pietatem, religionem, juſtitiam, clementiam, humanitatem à gravitate non ſejunctam, tuendæ fidei & pauperum juvandorum ſtudium, atque alia plura ornamenta, quæ illum ad maximum imperium adminiſtrandum aptum indicabant, commendarunt.* Quid ultra deſideres? Succedunt

NUMI-

NUMISMATA ÆREA
PAULI V.
Cum
COLUMNA, DIVÆ MARIÆ ERECTA,
&
PONTE CEPERANI, SUPER LIRIM RESTITUTO.



Primum Numiſma, inquit NEARISTOZETUS, Columnam Divæ Mariæ erectam exhibet. An autem & ſuffragatur Hiſtoria? Non hæc tantùm, reſpondit DULODORUS, ſed & Inſcriptio, quam & Molinetus attulit, & Ego hîc iterandam judico. Talis eſt:

PAULUS. V. PONTIFEX. MAXIMUS.
COLUMNAM. VETERIS. MAGNIFICENTIÆ. MONUMENTUM.
INFORMI. SITU. OBDUCTAM. NEGLECTAMQUE.
EX. IMMANIBUS. TEMPLI. RUINIS.
QUOD. VESPASIANUS. AUG. EXACTO. DE. JUDÆIS. TRIUMPHO.
ET. REIPUBLICÆ. STATU. CONFIRMATO.
PACI. DEDICAVERAT.
IN. HANC. SPLENDISSIMAM. SEDEM.
AD. BASILICÆ. LIBERIANÆ. DECOREM. AUGENDUM.
SUO. JUSSU. EXPORTATAM.
ET. PRISTINO. NITORI. RESTITUTAM.
BEATISSIMÆ. VIRGINI.
EX. CUJUS. VISCERIBUS. PRINCEPS. VERÆ. PACIS. GENITUS. EST.
DONUM. DEDIT.
ÆNEAMQUE. EJUS. STATUAM. FASTIGIO. IMPOSUIT.
ANNO. SAL. M. DC. XIV. PONTIFICATUS. IX.


Hæc Inſcriptio, inquit NEARISTOZETUS, cum Numiſmate egregiè convenit, id in omnibus eleganter illuſtrans. Idem ſanè annus, & in hoc legitur, apparetque, in Columnæ faſtigio, Mariæ ſimulacrum æreum, cujus pro nominis Gloria

Gloria hæc columna poſita memoratur. Quodnam autem eſt ædificium, quod juxta viſitur? Eſt Baſilica Liberiana, reſpondit DULODORUS, ad cujus decorem augendum Columnam erectam, ex eadem hac inſcriptione liquet. Laborioſum opus! ſubjecit NEARISTOZETUS, Columnas marmoreas tantæ magnitudinis & transferre & erigere! Bonanno docente, reſpondit DULODORUS, *Carolus Madernus*, Architectus Mediolanenſis id abſolvit: Statuam ex argilla confecit *Guilielmus Gallus*, ex ære formavit *Dominicus Ferrerus*. Altitudo ſtatuæ viginti palmos explet, altitudo Columnæ palmos ſeptuaginta quinque, ſine baſi & Periſtilio: Diameter ejusdem palmos octo æquat: Tota autem, à ſuperficie plateæ, cum ſtatua & baſi, ad palmos centum ſeptuaginta quinque aſſurgit; Sed ecce alterum magnificentiæ non minus ac providentiæ publicæ monumentum in *Numiſmate ſecundo*. Pontem video, inquit NEARISTOZETUS, & quidem ut inſcriptio habet, Ceperani ſuprà Lirim reſtitutum. Quid autem Ceperanum? Ubi terrarum ſitum? Ceperanum, reſpondit DULODORUS, Bonanno referente, eſt nobile Caſtrum ditionis Pontificiæ, regno Neapolitano conterminum, propè Lirim fluvium ſitum, ſuper quem, Pontem, antiquiſſimis temporibus, exſtructum, indeque vetuſtate collapſum, jam ſuo tempore etiam Antoninus Pius reſtituerat. Altera igitur, excepit NEARISTOZETUS, quam in Nummo cernimus, Pontis hujus reſtitutio eſt. Eſt, inquit DULODORUS; Arcus enim denuò corruerant, pilæque tantùm aquarum vorticibus adhuc obluctabantur, quibus injecta lignorum contignatio periculoſum incolis tranſitum præbebat, donec ponte lapideis fornicibus reſtitutò, Paulus & incolis ſubvenit, & ſibi Gloriam auxit. Factum id eſſe Anno Pontificatûs XIII. ex Inſcriptione patet:

PAULUS. V. PONT. MAX.
OPUS. PONTIS. AB. ANTONINO. PIO.
ANTE. ANNOS. M. DC. LXXIV.
RESTITUTUM.
INJURIA. TEMPORUM. COLLAPSI.
REFECIT. A. FUNDAMENTIS. OPPIDO. JUNXIT.
ANNO. SALUTIS. M. DC. XVII. PONT. XIII.

In Numiſmate, excepit NEARISTOZETUS, Annus XVI. expreſſus eſt. Ad Nummi fabricam is pertinet, reſpondit DULODORUS. Ad Pontem autem adſcribere placet Leonis Allatii verba, prout à Bonanno citantur: *Operis*, inquit, *ſtructura eximia, arcubus imparibus, firmitati conducit, majorique oblectamento eſt medius, duobus reliquis liberior, amplior que pedum 67. Concitariores excipit aquas, reliqui pedum 35. arctioribus intervallis clauduntur. A ſubſtructionibus ad cymatium pedum 50. aditus extollitur. Pilæ, quæ ſuperimmiſſi fornicis pondera ſuſtinent, pedum 24. craſſæ, altæ 20. quemadmodum ad Anterides, & prora & puppis ad ſcindendos aquarum impetus, tyburtino lapide circumveſtiuntur.* Quid concinnius ad propoſitum? Sequitur

NUMISMA AUREUM
URBANI VIII. P. M.
Cum
PORTA AUREA JUBILÆI INDICE.



Quod Numiſma vel ideò proponendum duco, quia Bonannus id ſe nullibi vidiſſe, ingenuè fatetur. Hinc raritas elucet, inquit NEARISTOZETUS, & fateor hactenus nec mihi innotuit; Sed placet Pontificis caput, nudum id, & nullò faſtûs Pontificalis inſigni cônſpicuum: Placet Porta aurea, facie Chriſti inſignita, & egregiò lemmate inſcripta: QUI INGREDITUR SINE MACULA. Verba, reſpondit DULODORUS, ex Pſalmo XV. deſumta ſunt, ubi ſtatim ab initio quæritur: *Domine, quis habitabit in tuo Tabernaculo?* & reſpondetur: *Qui ingreditur ſine macula.* Id ſcilicet Pontifex Portæ aureæ attribuit, quod ea Chriſti ſit, ſicut declarat Julius Tertius eô Numiſmate, quô Portam hanc: HÆC PORTA DOMINI inſcripſit, & JUSTI INTRABUNT PER EAM. An hæc Pontificis mens fuerit, inquit NEARISTOZETUS, valde dubito. Porta hæc ROMA ſubſcribitur, indeque apertum eſt, Romam adeuntibus hoc ſchemate perſuaderi, eos eô ipsô portam cœli ingredi videri, adeòque ſine macula eſſe, aut ſaltem à Pontifice purgatos, deinceps portam cœli ſine macula ingreſſuros. Fortaſſis & hoc, reſpondit DULODORUS, nam conſtat anno Jubilæi Pontifices largiſſimum Indulgentiarum Theſaurum peccatoribus oſtentare. Id ſcio, reſpondit NEARISTOZETUS, cùm autem porta hæc adhuc clauſa ſit, neſcio an ad Jubilæum pertinere poſſit? initio enim Jubilæi aperiebatur, & aperta ad finem usque manebat. At annus juxta exprimitur, inquit DULODORUS, non 1625. tantùm, ſed & II. ſcilicet Pontificatûs, qui ad ſextum Auguſti diem Anni 1625. ſive Jubilæi, adhuc duravit, adeò ut inde non obſcurè intelligas ad Jubilæi initia hoc Numiſma pertinere, ſecus ac

NUMISMA ÆREUM
Ejusdem
URBANI VIII.
Cum
PONTIFICE PORTAM AUREAM CLAUSURO,



Quod ipſum etiam Bonannus exhibuit. Scio, inquit NEARISTOZETUS, ſed

ſed absque Adverſa, idque ſuò more, ut ferè in omnibus. Mihi autem ea res jamdudum diſplicuit, cùm utique negari non poſſit, interdum ex Adverſa Averſæ, interdum viceversà, non parum luminis accedere. Bonannus certè ad Averſam propoſiti: *Completo anni decurſu*, inquit, *in Nativitatis Dominicæ Pervigilio, abſolutis veſperis, Portam Auream Vaticanam ſolemni ritu Urbanus clauſit.* Hæc an conveniant cum Adverſa? Quidni? ſubjecit DULODORUS. At annus Pontificatûs IIII. in hac exprimitur, perrexit NEARISTOZETUS, adeòque Portam non decurſu anni completo tantùm, ſed minimum dimidio anno poſt Jubilæum completum rurſus clauſam arguit. Dividenda, reſpondit DULODORUS, quæ Tu conjungis. Annus Pontificatûs IV. Numiſmatis ætatem arguit, non tempus clauſæ Portæ. Numiſmata facti alicujus memoriæ etiam annis factum ſequentibus dicari ſolere, jam ſæpius monui. Ego Pontificis habitum contemplor, quòd Regno redimitus portam claudat, cùm tamen, ut Bonannus dicit, in ejusmodi ingreſſu Pontifex hòc non utatur; quanquam pag. 130. Alexandrum VI. portam aperturum, *paramenta ſolita, Regnum ſive Tiaram ſumſiſſe*, ex Bruccardo docuerat. Sed his miſſis notare libet, ea quæ Pontifex portam clauſurus manu portat, annon videlicet *Capſulæ* illæ *Plumbeæ* ſint, *quas Urbanum aureis, argenteis, & æreis Numiſmatibus, ſuo nomine inſcriptis, plenas in ipſa ſtructura condidiſſe* memoratur? Res incerta eſt, excepit NEARISTOZETUS; poterunt enim & lateres eſſe, quibus cæmento junctis Porta claudi ſolet. Ego ad Inſcriptionem reſpicio: PONAT FINES SUOS PACEM. Quid hoc? Annon Porta Pontificum *aperta* Pacem Populis nunciabat? Nunciabat parandam, reſpondit DULODORUS, ſed partam nunciabat clauſa, non minus ac apud Romanos, quibus Porta Jani clauſa pacem ſignificabat. Firmat opinionem hanc, non Urbani tantùm in conſtituenda Pace Politica ardor, quam Inſcriptionis rationem Bonannus adfert; ſed & Votum Juſti Rycquii, quo Caput XVIII. Tractatûs de Anno Seculari Jubilæo terminat. Tale eſt:

FAXIT. DEUS. OPT. MAX.
PACIFICATOR. ÆTERNUS.
SICUT.
OLIM. IN. PROFANA. RELLIGIONE.
PACE. TERRA. MARIQ. PARTA.
AUGUSTUS. IMP.
JANI. GEMINI. PORTAS. CLUSIT.
ITA.
URBANUS. OCTAVUS.
RELIGIOSISSIMUS. PONTIFEX.
DISSIDIIS. PRINCIPUM. CHRISTIANORUM.
COMPOSITIS. HOSTIBUS. ECCLESIÆ.
ET. IMPERII. PERDUELLIBUS.
TOTO. ORBE. TERRARUM DEBELLATIS.
NOVI. SÆCULI. PORTAS.
FELICITER.
APERIAT. ET. OBSIGNET.

Quæ verba, licet & ipſa de Pace Politica loquantur, Numiſma autem præcipuè ad Pacem animarum & Cœleſtem pertinere videatur, ſimilitudinem tamen inter Portam Sanctam & Portam Jani egregiè adſtruunt. Subit

NUMISMA ARGENTEUM
Ejusdem
URBANI VIII.
ADDITIS URBI PROPUGNACULIS CUSUM.



Bonannus æreum vulgavit, excepit NEARISTOZETUS. Vulgavit, respondit DULODORUS, imò & probè explicavit, *Urbanum*, asserens, *urbem Mœnibus cinxisse ea parte, quæ meridiano Sole illustratur: propositoque Numismate ea exhiberi, quæ à PORTA JANICULENSI, ad PORTAM usque, quæ dicitur DEI CAVAILIGIERI, excurrunt: superare autem spatium unius milliarii, id est palmorum 9072: Mœnia autem inter PORTAM PORTUENSEM, & PORTAM MILITUM LEVIS ARMATURÆ, Unum verè milliarium implere, scilicet palmos 6670.* Hæc Bonannus, & ei fidem quis neget, de Urbi Roma scribenti? Res aperta est, respondit NEARISTOZETUS, Sed mihi denuò dubium ex numero nascitur, sequentem Inscriptionem intuere, Bonanno authore in Porta Janiculensi exstantem:

URBANUS. VIII. PONT. MAX.
ABSOLUTIS. CIVITATIS. LEONINÆ. MONUMENTIS.
ET. MOENIBUS. AC. PROPUGNACULIS. AD. TYBERIM.
USQUE. EXCITATIS. IMMINENTEM. URBI. JANICULUM.
ET. TRANSTYBERINAM. REGIONEM. CIRCUMDUCENS.
PUBLICÆ. SECURITATI. PROSPEXIT.
ANNO. DOMINI. M. DC. XLIV. PONTIF. XXI.

Annus Pontificatûs XXI. hic notatur, cùm tamen Numisma anno XX. percussum, ipso Nummo noscatur. Facilis est responsio, respondit DULODORUS. Distinguendum inter opus cœptum & perfectum. Et quid si dicâmus, eam partem, quæ in Nummo nostro expressa est, à porta scilicet Janiculensi ad portam militum levis armaturæ, anno XX. jam absolutam fuisse, imperfectâ adhuc alterâ illâ ad Portam Portuensem sive Tiberim? quæ proindè anno sequenti demum absoluta fuerit. Inscriptio sanè non de alterutra, sed de utraque parte loquitur. Duas literas, excepit NEARISTOZETUS, G. videlicet & M. Pontifici subjectas video. Quid hæ? an Artificis nomen exprimunt? Id idem, respondit DULODORUS; Legendæ enim GASPARDUS MOLO, quem Urbani VIII. Innocentii X. & Alexandri VII. Numismata edidisse, Molinetus author est. Nos ad alia transimus. Sequuntur

NUMI-

NUMISMATA ÆREA
Ejusdem
URBANI VIII.
ARCEM URBANAM & AUCTAM AD METAURUM DITIONEM CELEBRANTIA.



Senex Episcopus, inquit NEARISTOZETUS, in nubibus dextrâ Urbem præferens, sinistrâ Pedum Episcopale tenens, intra Lauream Castello imminet, inscribiturque SECURITAS PUBLICA. Quid hoc? Quis ille senex? Senex Episcopus, respondit DULODORUS, est *Sanctus Petronius Bononiensis*, Civitatis Patronus, quam proindè dextra præfert, adeòque tutatur. Castellum quod cernis, arx est, quam in Agro Bononiensi, ad Pontificiam ditionem defendendam, Urbanus condidit, suaque de nominè *Urbanam* dixit. Patet id ex sequenti Inscriptione, quam ex Oldoino transcribimus:

URBANUS. VIII. PONT. MAX.
ARCEM. HANC. DE. SUO. NOMINE. URBANAM. NUNCUPATAM.
VALIDISSIMIS. PROPUGNACULIS. GEMINOQUE. VALLO. GEMINAQ.
FOSSA. JUGIS. AQUÆ. FLUXU. REPERTA. CIRCUMDATAM.
UT. SOLI. PATENTIS. IN. DITIONEM. ECCLESIASTICAM. ADITUS.
HOSTICIS. ARMIS. INTERCLUDERETUR. PUBLICÆ. SECURITATI.
CONSULTUS. A. FUNDAMENTIS. EXCITATAM. ABSOLVIT.
ET. USUI. MILITARI. REBUS. OPPORTUNIS. INSTRUXIT.
ET. MUNIVIT.

Pulchra est Inscriptio, inquit NEARISTOZETUS, & simul Inscriptionem Numismatis, SECURITAS PUBLICA, egregie dilucidat. Quid autem sub Pontificis ala? ANNUS MDCXXXI. respondit DULODORUS, qui cum anno Pontificatûs VIII. coincidit: Nomen item Pontificis GAS. MOL. F. sive *Gaspardus Molo fecit*, ex quo simul patet, etiam literas G. M. quod diximus, in argenteo Nummo idem significare. Idem nomen, excepit NEARISTOZETUS, imò & idem annus etiam in Numismate altero cernitur. Quid hoc? An res expressa cum priore in idem tempus incidit? Id non dixeris, respondit

DULODORUS; Arx enim, si Inscriptioni fides, ab Urbano exstructa est anno MDCXXXVIII. Ita sonat:

FORUM. GALLORUM. FLORENTE. ROMANO. IMPERIO.
NOBILISSIMUM. ÆMILIÆ. VIÆ. OPPIDUM.
HIRCII. ET. PANSÆ. ROMANORUM. CONSULUM. ADVERSUS.
MARCUM. ANTONIUM. CASTRAMETATIONE. AC. VARIIS.
DEINDE. INTER. BONONIENSES. ET. MUTINENSES. PRÆLIIS.
NOBILITATUM. IN. MARTIS. DITIONEM. SIC. TANDEM. CESSIT.
UT. ARCE. MUNITISSIMA. ILLI. ADJECTA.
URBANUS. VIII. PONT. MAX.
TOTIUS. ECCLESIASTICI. IMPERII. PROPUGNACULUM. DELEGERIT.
ET. PRISCUM. SPLENDOREM. A. JURE. INTER. CIVES. DICENDO.
UTILIUS. IN. HOSTES. IGNE. FERRO. PROPULSANDOS. IMMUTARIT.
ANNO. DOMINI. M. DC. XXXVIII.

Si hoc ita sit, regessit NEARISTOZETUS, quomodo conciliabimus, quod in Nummo Annus MDCXXXI. legitur non minus ac in posteriore? Duplici via id poteris, excepit DULODORUS, vel statuendo, Numisma sub munitionis principia cusum, Inscriptionem autem opere perfecto positam esse; Quidni enim septem anni in structuram Arcis credantur absumti? vel etiam, id quod verisimilius est, artificem cudendo, eandem Adversam utrisque Aversis adhibuisse, id quod hodiénum fieri assolet, artificum quidem commodò, non levi autem interdum cum veritatis damno. Res sanè in proposito vel inde magis elucet, quòd ex aliâ Inscriptione patet, Ditiones ad Metaurum Anno MDCXXXI. auctas, qui in utroque Numismate legitur: adeò, ut indè facilè colligas, Adversam ad posterius Numisma propriè pertinere, ad prius autem, nescio an satis accuratè, traductum esse. Verba Inscriptionis eò libentius addo, quò clarius & explicant, quibus in partibus Ditio aucta fuerit. Ita habent:

CIVITATES. ET. DITIONES. DUCATUS. URBINI.
NOMINE. COMPREHENSÆ.
QUAS. A. ROMANIS. PONTIFICIBUS. FELTRIA. PRIUS.
DEINDE. RUVERIA. FAMILIA. BENEFICIARIO. JURE.
POSSIDEBAT.
IN. FRANCISCO. SECUNDO. EXSTINCTA.
UTRIUSQUE. SOBOLE. IN. LIBERAM. APOSTOLICÆ. SEDIS.
DOMINATIONEM. CONCESSERE.
URBANO. VIII. PONT. MAX. ANNO. SALUTIS. M. DC. XXXI.

Urbini Ducatum Inscriptio memorat, excepit NEARISTOZETUS; At ego in Numismate *Metaurum* lego. Res eòdem cadit, inquit DULODORUS; Metaurus enim, est fluvius Urbini Ducatum alluens, vulgò *Metro* dictus. Non autem in Numismate tantùm, sed & in alterâ Inscriptione is nominatur, ex qua & apparet sub *Ditione*, Ditionem Ecclesiæ intelligendam esse. En verba!

URBANO. VIII. PONTIFICI. MAX.
QUOD. POST. AUCTAM. AD. METAURUM.
ECCLESIÆ. DITIONEM.
METAURIENSE. DURANTIS. CASTRUM.
CIVITATIS. JURE. DONAVERIT.
LOCUMQUE. OB. COELI. SALUBRITATEM.

URBI-

FICUM ROMANORUM.
URBINATIUM. DUCUM. SEDEM.
ADDITO. EPISCOPO.
SALUBRIOREM. ANIMIS. PROCURAVERIT.
AC. DIOECESIS. FINES. EXTENDERIT.
URBANIENSES.
UT. QUOTIES. NOMINENTUR.
TOTIES. ACCEPTI. BENEFICII. ADMONEANTUR.
CONDITORI. SUO. POSUERUNT.

Inſcriptionem hanc, inquit NEARISTOZETUS, recordor & Molineto citatam, qui inde Puellam in Numiſmate expreſſam Civitatis Urbaniæ typum, ait, referre, manuque geſtare Eccleſiam Urbis Cathedralem, quam Urbanus condiderit. An Molineto, reſpondit DULODORUS, hac in parte ſubſcribendum ſit, dubito; Romam enim hanc Puellam eſſe, non ex habitu tantùm, ſed etiam ex ſubſcriptione indubium eſt: indeque ſubit conjectura, annon Eccleſia, quam Roma elevat, Divi Petri potius ſit, indigitetque ſimul cum Inſcriptione, *D. Petri Patrimonium & ſedem, auctâ ad Metaurum ditione, elevari?* Bonannus, repoſuit NEARISTOZETUS, Romam quidem agnoſcit, Templum autem Eccleſiam Cathedralem Durantis oppidi, arbitratur eſſe, quod Urbanus in urbem erexit, & Epiſcopatu donavit. Minimùm, reſpondit DULODORUS, non abludit à figurâ Templi Divi Petri in Vaticano, Numiſmati Pauli V. impreſſa. Sed hæc tetegiſſe ſufficiat. Pergimus ad

NUMISMA ARGENTEUM
INNOCENTII X. P. M.
Cum
AQUA VIRGINE IN FORUM AGONALE DEDUCTA.



Numiſma incognitum non eſt, excepit NEARISTOZETUS. *Forum Agonale*, verbis Molineti utor, *ubi olim Agonales ludi, ſeu certamina, agebantur, elegantiſſimè ornavit Pontifex, non ſolum eximio Pamphiliorum Palatio, & æde ſacra B. Agnetis; ſed & fonte limpidiſſimo ex AQUA VIRGINE, quaſi AD ABLUENDUM CRUOREM AGONALIUM CERTAMINUM deducto, in ſcopuli prærupti formam, largô aquarum undique labentium curſu divite. Illic ſimulacra quatuor ingentia fluminum ex marmore incumbunt, quæ Orbis partium quatuor primarios deſignant fluvios, DANUBIUM ſcilicet, GANGEM, NILUM, & AMAZONIUM, cum ſymbolis Animalium & Plantarum, quæ juxta eos creſcunt & aluntur. Opus totum in ejus apice coronat Obeliſcus Ægyptiacus, cui hæc appoſita eſt Inſcriptio:*

INNO-

INNOCENTIUS. X. PONT. MAX.
NATALI. DOMO. PAMPHILIA.
OPERE. CULTUQUE. AMPLIFICATA.
LIBERATAQUE. IMPORTUNIS. ÆDIFICIIS.
AGONALI. AREA.
FORUM. URBIS. CELEBERRIMUM.
MULTIPLICI. MAJESTATIS. INCREMENTO.
NOBILITAVIT.
OBELISCUM. AB. IMPERATORE. CARACALLA.
ROMAM. ADVECTUM.
CUM. INTER. CIRCI. CASTRENSIS. RUDERA.
CONFRACTUS. DIU. JACUISSET.
INNOCENTIUS. X.
AD. FONTIS. FORIQUE. ORNATUM.
TRANSTULIT. INSTAURAVIT. EREXIT.
ANNO. SALUTIS. M. DC. LI.
PONT. VII.

Hæc Molinetus, & ad propoſitum quàm apte? Fateor, inquit DULODORUS, nec ad lucem habeo quod addam. Nihil? infit NEARISTOZETUS, Quæ igitur ratio, ut Numiſma denuò proponatur? Duplex, reſpondit DULODORUS, mutilata inſcriptio, & annus in adverſa expreſſus. Inſcriptio non tantùm, ut apud Molinetum: ABLUTO AQVA VIRGINE, habet; Sed plenius: AGONALIUM CRUORE ABLUTO AQVA VIRGINE, qualiter etiam exhibuit Ciacconius. Memini, inquit NEARISTOZETUS. De anno autem velim doceas; Cùm enim, ut ex hiſtoria patet, Innocentius noſter anno MDCXLIV. ad Pontificatum pervenerit: in Inſcriptione autem Obeliſco appoſitâ, annus VII. occurrat, quomodo in Numiſmate Annus Jubilæi, & MDCL. notari potuit? Nonne annus Jubilæi, annus Pontificatûs VI. fuit? Fuit ſextus, reſpondit DULODORUS, & fuit etiam ſeptimus. Electus eſt Innocentius Anno MDCXLIV. die 14. Septembris. Hinc conſequens eſt, Annô Jubilæi ſive MDCL. dicta die 14. Septembris eum annum VI. impleviſſe, reliquos autem dies annô ſeptimô annumerari: adeò ut jam clarum ſit, Numiſma noſtrum, ſi credatur eſſe percuſſum anno Pontificatûs VII. percuſſum eſſe annô Jubilæi ad exitum vergente. Interim non nego, & Obeliſcum annô MDCLI. ad 14. Septembrem usque inſcribi, & Numiſma toto anno Jubilæi percuti potuiſſe; Quæ enim neceſſitas, ut hæc eôdem tempore credantur facta? Sed valeant minutiæ. Succedit

NUMISMA ARGENTEUM
ALEXANDRI VII. P. M.
Cum
TEMPLO VIRGINIS MARIÆ A PACE, OB RESTITUENDAM PACEM HISPANO - GALLICAM PERCUSSUM.



Reſtituendam? inquit NEARISTOZETUS. Quidni reſtitutam? in eo enim video differre hoc Numiſma ab Eo, quod Bonannus protulit. Bonannus ait, Numiſma ſuum anno 1656. percuſſum eſſe; Hoc autem annò Pontificatûs IV. id eſt anno Chriſti 1659. ſignatum, ex ipſo nummo noſcitur, eòdem videlicet, quò & Pax illa Hiſpano-Gallica coaluit. Pax Hiſpano-Gallica, reſpondit DULODORUS, coaluit anno 1659. fateor, ſed menſe Novembri. Cùm igitur conſtet, Alexandrum anno 1655. die Aprilis ſeptimo, electum eſſe, ſequitur annum Pontificatûs IV. eòdem menſe anni 1659. jam completum fuiſſe, quò menſe tamen pax nondum coaluerat. Sed quid multa? cùm tamen & inſcriptio pacem *reſtituendam* arguat? DA PACEM DOMINE IN DIEBUS NOSTRIS! Templum hoc inſcribitur, quod non oraſſet Pontifex, ſi pacem jam reſtitutam ſciviſſet. Notandum autem Numiſmata diverſis temporibus percuſſa, ad *vota* referenda eſſe, diverſis temporibus repetita, id quod ex Inſcriptionibus à Bonanno publicatis patet. Eas ecce!

VIRGINI. PACIS.
VOTA. PRO. ORBIS. CHRISTIANI. CONCORDIA.
AC. TRANQVILLITATE. DUDUM. SUSCEPTA.
ÆDE. ILLIUS. AUCTA. ET. EXORNATA.
ALEX. VII. PONT. MAX.
SUPPLEX. REPETIT.
ANNO. M. DC. LVI. PONT. II.

❊ ❊ ❊

QVOD. VOTIS. REPETITIS.
AD. CHRISTIANÆ. REIPUBLICÆ. TRANQVILLITATEM. COELITUS.
IMPETRANDAM.
TEMPLUM. MAGNÆ. VIRGINI. PACIS.
ARBITRÆ. A. SIXTO. V. ERECTUM. INSTAURAVERIT.
SACELLIS. ILLUSTRATIS. ET. MAGNIFICENTIUS. EXCULTIS.
EXCITATA. PORTICU. ET. NOBILIORE. FRONTE. AREA.
VIISQVE. AMPLIFICATIS. AUXERIT. ORNAVERIT.
D. CONSTANTINUS. DE. RAPHAELIS. ABBAS. ET. PROCURATOR.
GENERALIS. ET. CANONICI. REGULARES. LATERANENSES.
PARENTI. BENEFICENTISSIMO.
ANNO. SALUTIS. M. DC. LVII.

Hæc Inſcriptio, inquit NEARISTOZETUS, apud Bonannum Pacem *impetratam* loquitur: Loquitur Templum *inſtauratum*, cùm tamen anno 1657. quò ea concepta eſt, Pax nondum fuerit, adeòque nec vota ſoluta præſumi poſſint? Hoc ſanè ſi verum, neſcio quomodo verum eſſe poſſit, quod Bonannus ait: *Hoc templum*, inquiens, *Alexander, cum Pacem ſummè deſideraret inter Chriſtianos, plurimas preces Deo fundens, ut præſidium Deiparæ mereretur, ſe reparaturum vovit, ſtatimque manum admovit, CUM inter Reges EST PAX PUBLICATA.* At Pax concluſa eſt demum anno 1659. ut ſupra audivimus. Mihi, reſpondit DULODORUS, hìc à Bonanno abire, & cum Inſcriptionibus ſentire licebit. Ædem auctam & exornatam eæ loquuntur; Pacem concluſam non loquuntur; in priore enim apertè VOTA PRO ORBIS CHRISTIANI CONCORDIA AC TRANQVILLITATE SUSCEPTA: Et in poſteriore Vota non OB, ſed AD tranquillitatem, non *impetratam*, ſed *impetrandam*, legi debent; Ita ſanè exſtant inter eas, quas Ciacconius collegit: adeò, ut vigore harum contra Bonannum rectè aſſeras, Templi reſtaurationem ſtatim cum votis ſuſceptam fuiſſe. Sed tranſeant hæc. Sequuntur

NUMISMATA AUREA
CLEMENTIS IX. P. M.
Cum
LOTIONE PEDUM, ET PROCESSIONE IN VATICANUM, OB PACEM ANNO 1667. AQVISGRANI SUBSCRIPTAM.



Pax ea, inquit NEARISTOZETUS, rurſus inter Regem Galliarum & Regem Catholicum facta eſt. Quid igitur ea ad Pontificem? Pontifex, excepit DULODORUS, ſuis monitis & authoritate eam conciliaverat. Ita ſanè Rex Galliæ in literis die 16. Aprilis datis: *Sanctitatis Veſtræ Authoritas, ob Venerationem, quam nos uni ipſius Perſonæ hac in re detulimus, Pacem inter omnes Chriſtianos Principes ſanxit.* Sed plenius res innoteſcit ex verbis, Conditionibus Pacis præfixis, quæ ita habent:

Notum ſit omnibus &c. Authoritate & Curis Paternis Sanctiſſimi Dn. Clementis Papæ IX. aſſiduisque & ferventibus Sanctitatis ſuæ cohortationibus, & officiis, cùm per plurimas manu ſuâ ſcriptas literas, tum per operam à Jacobo Cardinale Roſpiglioſo, Nepote ſuo, ad nos ablegato, & ab Extraordinariis ſuis Nuntiis egregiè navatam, &c.

Teſti-

Testimonia clara sunt, inquit NEARISTOZETUS, an autem & annus congruit? Annum Pontificatûs II. Numisma præfert. An is cum anno Pacis coincidit? Minimùm, respondit DULODORUS, ei non contradicit. Clemens Pontifex factus est Anno 1667. die 20. Junii. Pax autem Aquisgrani subscripta Anno 1668. die, ut Bonannus habet, 2. Maji. Secundo Maji, excepit NEARISTOZETUS, adeòque Anno Pontificatûs primò adhuc. Ita est, respondit DULODORUS; sed Annus in Nummo expressus non ad annum pacis pertinet, sed ad annum signati Numismatis, & quidni etiam celebratæ processionis, quæ in aversa visitur? Hæc sanè prius non celebrari, imò nec Numisma signari poterat, quàm pacem factam Pontifici innotuisset, id quod non nisi lapsu plurium dierum, & si Bonanno fides, d. 6. Junii demum factum est. Et quis non judicet, etiam fabricam Numismatis, & apparatum processionis aliquantulum temporis abstulisse? adeòque rectè Annum Pontificatûs II. appositum esse? Notabiliter autem in subscriptione aversæ dicitur, non *Pace Populis concessâ*, sed *Pace Populis SUIS concessâ*, ut scilicet Populi Romani Catholici indigitarentur, licet Rex in allatis literis ad omnes Principes eam extendat. Pax, respondit NEARISTOZETUS, præcipuè ad Romano-Catholicos spectabat, utpote inter Gallos & Hispanos restituta, quos sub Populis Domini hìc Pontificem indigitare, mirum non est; Licet enim omnes gentes Domini Populi sint: Licet item & Protestantes Christiani, jure tantò majore, quantò propius Christum contingunt; tamen ut Judæi propriissimè Dei Populus erant, ita hìc Pontificem Romanum Romano-Catholicos, Gallos & Hispanos, propriissimè Populos Dei nuncupare, quis miretur? Nota est hominum persuasio, respondit DULODORUS. Quilibet suam fidem reliquis præcellere putat. Mihi Pontificis moderatio placet, qui non tantùm pacem suâ operâ restitutam, non sibi, sed *Domino* adscripsit; sed etiam, ut debitas Deo gratias referret, ut Bonannus loquitur, præter lætitiæ signa, festivis ignibus ac Tormentorum explosione data, solemnem *supplicationem* indixit, in qua, quod in Numismate adumbratur, *cum universo Urbis Clero Vaticanam Basilicam Pontifex ipse pedes adivit*, ibidem sacro interfuit, solemniter celebrato ab Eminentissimo Francisco Cardinale Barberino, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellario, ut Deo Gratiæ *ob Pacem Populis concessam* redderentur. Pontificem, excepit NEARISTOZETUS, in Numismatis aversa, inter Clerum non observo. Mitris Pontificalibus omnes ornati sunt, nec quisquam à reliquis differt. Is Pontifex est, respondit DULODORUS, cujus Mitra retrò Pyramidem eminet. Id vel inde intelligis, quòd alius *Mitratus* ejus pallium à tergo colligat. Quòd autem *Mitra* & non *Regno* utatur, humilitatem sapit, imò & distinguit actiones; Regno enim in signum Imperii Pontifex, sed raro utitur, Mitrâ autem in signum Pontificatûs, & ferè semper: Proinde, cùm hìc gratias Deo referat pro Pace Populis concessa, quod Pontifici præcipuè convenit, rectè utique videbitur Mitrâ usus, & non Regno. In adversa, inquit NEARISTOZETUS, nec Mitram nec Regnum gestat. *Camelaucio* tegitur, respondit DULODORUS, de quo si plura desideres, adi Bonannum sub Pio II. Ego ad prius Numisma transeo. Nihil hìc novi est, excepit NEARISTOZETUS, nisi forsan lotionem pedum, quæ hìc adumbratur, anno Pontificatûs I. Pontifices celebrasse contendas; nam & sub Paulo V. huic anno jungebatur. Celebrari solebat, respondit DULODORUS, non primo tantùm anno, sed & sequentibus: & quidem eòdem interdum anno pluries, id quod Bonannus sub Pio V. notat, ubi plura ad hunc ritum observatu digna adduxit.

duxit. Ego autem non hoc, ſed metalli differentiam hîc denuò admiror, quod Bonannus, qui Numiſmata Pontificum ex variis Cimeliarchiis collegit, utrumque, quod hîc ex auro produximus, Numiſma tantùm ex ære dederit. Id gloriæ Cimeliarchii Regii cedit, inquit NEARISTOZETUS, quam & dignis laudibus Italia vehet, ſi Pontificum ſuorum decora ei tam inſigniter curæ fuiſſe intelligat. Subit

NUMISMA ARGENTEUM
CLEMENTIS X. P. M.
PIETATEM IN PATRIAM CELEBRANS.



Hoc Numiſma, inquit NEARISTOZETUS, Bonannus & ipſum æreum dedit, indeque gaudeo, idem & argenteum hîc occurrere. Metallum, ſubjecit DULODORUS, me non afficit; ſed afficit Pontificis effigies, imò & totum Numiſma; faberrimè enim factum eſt, & genio ſuo prodit, HAMERANI artificium eſſe, cujus & nomen adſcriptum legimus. Effigies, excepit NEARISTOZETUS, non tantùm Pontifice, ſed & nobilitate gentis, ex qua prodiit, digniſſima eſt. ALTERIA vocatur, Romana illa, quæ vel nomine *celſitudinem* exprimit. Non gentem, ſubjecit DULODORUS, ſed Perſonam contemplamur, Virum, ut Bonanno audit, *morum probitate ac modeſtiâ eximium*, qui cùm annum octuageſimum ageret, die 29. Aprilis Anni 1670. Pontifex electus eſt: quam tamen dignitatem ægrè, & non niſi validiſſimis rationibus inductus ſuſcepit, inde *Clemens* dictus, qui antea ÆMILIUS appellabatur, ſacràque tiarâ, tribus coronis ornatâ, inſignitus die undecima Maji, à Cardinale Landgravio de Haſſia. Sed hæc, & alia huc pertinentia, Bonannus docuit. Ego ad averſam propero. Averſam, inquit NEARISTOZETUS, jamdudum explicavit, non Bonannus tantùm, ſed & Claudius de Molinet. Hic Charitatem Romanam agnoſcit, eàque ait commendari pietatem Pontificum ergà Populum Romanum, cùm ſcilicet annonæ penuriâ laboranti effuſis charitatis viſceribus ſubvenit: Ille Hiſtoriam ex Valerio Maximo repetit l. 5. c. 4. ubi filia matrem in carcere lacte ſuò ſuſtentaſſe, eàque pietate ei vitam obtinuiſſe, latiùs docetur. Hæc hiſtoria, excepit DULODORUS, quid huc faciat? non video, cùm Filia non matrem, ſed Patrem in Numiſmate lactet. Videtur id ſenſiſſe Bonannus, ſubjecit NEARISTOZETUS; ideò enim & alteram illam de *Pero Cimonem Patrem lactante* ſubjecit, cùmque ad facti memoriam pictamque imaginem homines admiratione attonitos memoraſſet. *Nos*, inquit, *in pietate Clementis recentia pro veteribus intuemur*; *Ille enim cum Italia terræ motu contremuiſſet, plurium Civitatum paſſa eſſet excidium, Ariminum Templorum ruinam, ædium multarum ſolutionem, Civium ſtragem, quibus jacuit pene in ſe ipſo ſepultum, omnia tamen brevi, & ad meliorem formam reſti-*

tuit,

tuit, aurô Pontificiô ex ærario liberaliter erogatô. Terræ motus hic, ſubjecit DULODORUS, anno 1672. accidit, cùmque Numiſma annô Pontificatûs III. ſignatum ſit, ut titulis adjectum eſt, tertius autem Clementis annus à die 29. Aprilis ejusdem anni fluxerit, apertum eſt, Bonanni rationem valere, Molineti cadere, quòd nec in Pietate Romanâ hîc, nec in largitione annonæ ſubſiſtendum; ſed omninò ad opem, afflictæ terræ motu Italiæ, à Pontifice præſtitam, reſpiciendum ſit. Pontifex Pater dici ſolet, regeſſit NEARISTOZETUS, ejusque filia eſt Eccleſia; Quid igitur ſi hujus ſenium adumbretur, quô Pontifex, velut in carcere, contabuiſſet, niſi filiæ ſuæ, id eſt Eccleſiæ lacte, ſive doctrinâ & obedientiâ recreatus fuiſſet? Nova hæc foret opinio! exclamavit DULODORUS. Cùm autem & annus & hiſtoria Bonanno faveant, Ego eum non derelinquerem, idque eò minus, quòd Ejus ſententia ad dictamen Emblematis Heroici concepta ſit: Emblema heroicum autem in Numiſmatibus, quibuscunque inventis potius credendum ſit. At, inquit NEARISTOZETUS, ſi Emblema heroicum hîc locum habere debeat, Pontifex ſub filia, Italia ſub Patre Cimone intelligetur? Omninò, reſpondit DULODORUS, & me quidem judice optimè; aperta enim eſt & veriſſima comparatio, ut Pero patrem Cimonem in Carcere lactavit, eoque & *viſicavit* & *beavit*, ita & Pontifex Patriam ſuam terræ motu concuſſam: Patriam, inquam, ſuam, adeoque Italiæ filius; Romanum enim fuiſſe, ex nobili Alteriorum Familia, Tu ipſe ſuprà faſſus es. Succedit aliud

NUMISMA ARGENTEUM
Ejusdem
CLEMENTIS X. P. M.
PORTAM JUBILÆI AUREAM RESERANTIS.



Quod vel ideò producendum arbitror, quòd à Bonanni æreis non tantùm & ipſum metallo diverſum; ſed etiam, quòd alia chronographia inſignitum ſit. Annus MDCLXXV. inquit NEARISTOZETUS, ut in hoc, ita & apud Bonannum legitur. At non annus Pontificatûs Maximi VI. repoſuit DULODORUS, nam in indice Bonanni annus V. huic nummo aſſignatur. Id mirum, ſubjecit NEARISTOZETUS, cùm tamen Reſeratio Portæ certam diem requirat. Reſeratio Portæ, reſpondit DULODORUS, anno MDCLXXIV. die 24. Decembris facta eſt, indeque ſi hanc reſpicias, nec annus MDCLXXV. rectè poſitus erit. Notandum autem, Annum MDCLXXV. annum Jubilæum denotare, cui Reſeratio Portæ initium fecit, ſive ſupputatione naturali, ab ingreſſu Solis in Capricornum ſive ratione Eccleſiaſticâ à nativitate Chriſti. Notandum deinde, ad opinionem Pontificiorum, inſcriptionem Numiſmatis per totum anni Jubilæi decurſum veram fuiſſe; usque enim extremum ejus diem dicere potuére: APERUIT DOMINUS THESAURUM SUUM. Hoc

 poſitò

poſitò jam conſtabit, utrumque annum & V. & VI. locum habere; Quintus enim Pontificatûs annus duravit usque ad diem 29. Aprilis, indeque incepit Annus VI. adeò ut Bonanni Numiſma apertè à noſtro diverſum ſit, utpote ante diem 29. Aprilis percuſſum, cùm noſtrum ex ratione chronologica poſt diem 29. Aprilis rectè projiciatur. Dolendum, inquit NEARISTOZETUS, non Molinetum tantùm, ſed & Bonannum plerisque in Numiſmatibus Capita Pontificum omiſiſſe; ex horum enim cultu & inſcriptione, ut video, non exigua averſis lux affulgere poteſt. Rectè ſentis, ſubjecit DULODORUS. In propoſito ſanè, non tantùm Numiſmatis ætas, ſed & artifex in dubium venit; propoſitum HAMERANI eſſe, ex adſcriptò nomine minutiſſimisque Veſtis Pontificiæ ornamentis clarum eſt. Quis autem eidem adſcribere auſit, & Numiſma Bonanni, adversâ ubi hæc occurrunt omiſſâ? Eorum hæc culpa eſt, inquit NEARISTOZETUS, qui Libros edentes ſumtibus parcunt, cùm tamen interdum ſatius eſſet, libros non edere, quam intempeſtivâ avaritiâ Res, in eis proponendas, mutilatas proponere. Illud ſi nihil juvat, at nec nocet; hoc autem falſas ideas inducit, adeòque opiniones generat, procul ut plurimùm à vero aberrantes. In propoſito, excepit DULODORUS, id tantopere non metues, cùm noſtro error ſuppleatur, & Reſeratio Portæ res nota ſit: Licet Clemens noſter majori, quàm alii, pompâ eam peregerit. Bonannus rem pluribus, ex quo ſequentia tantùm, utpotè Numiſmati convenientiſſima, addo: *Ubi Pontifex ad Portam pervenit Auream, acceptô malleô è manibus Cardinalis Alterii ter percuſſit, dicens ad quemlibet ictum: APERITE PORTAS. Deinde receſſit, & Porta rotarum beneficiô ſtatim ſublata eſt, & abſolutis precibus primus omnium per Portam Auream, Baſilicam ingreſſus eſt.* Hæc, inquit NEARISTOZETUS, ſi re ipſa ita geſta fuerint, neſcio annon Numiſmati contradicant; Apertè enim in hoc Porta Aurea Baſilicæ affixa cernitur, & quidem ſub ipſum Reſerationis actum, cùm tamen poſt actum Reſerationis *rotarum beneficio ſublata*, & tum demum Pontifex per eam, Baſilicam ingreſſus dicatur. Vocabulum *Porta*, reſpondit DULODORUS, mihi videtur ambiguum; Porta enim, quæ rotarum beneficio ſublata dicitur, proculdubio pro Janua, aut lateribus ſumenda erit, quibus Porta Aurea clauſa fuerat. Sed hoc in medio relictum eſto! Succedit

NUMISMA EX ÆRE AURATUM
INNOCENTII XI. P. M.
FOEDUS CONTRA TURCAM SPIRITUI SANCTO COMMENDANTIS.



Idem hoc, inquit NEARISTOZETUS, etiam apud Bonannum proſtat. Sed mutilum, reſpondit DULODORUS; *Primò* enim Adverſa abeſt, cùm tamen

tamen ea non Pontificis tantùm effigiem, ſed & annum Pontificatûs VIII. imò & nomen artificis HAMERANI exhibeat. *Secundò*, abeſt inſcriptus Menſæ ANNUS DOMINI M DC LXXXIIII. qui tamen omninò neceſſarius eſt, ut annus fœderis noſcatur. *Tertiò*, abeſt Inſcriptio Circuli exterioris: AD. MAJOREM. DEI. GLORIAM. ET. ECCLESIÆ. SUÆ. INCREMENTUM. quibus verbis finis & fœderis & commendationis Pontificiæ adumbratur. Ultima hæc, excepit NEARISTOZETUS, Bonannus in Commentario poſuit, ubi & demonſtrat, ſub quadruplici, quod aræ impoſitum cernimus, ornamenti genere, ipſum Pontificem Summum, INNOCENTIUM XI, LEOPOLDUM Imperatorem, JOHANNEM III. Polonorum Regem, & M. ANTONIUM JUSTINIANUM Venetorum Ducem indicari. Hoc bene, inquit DULODORUS, ſervatumque ab artifice dignitatis ordinem velim obſerves. In medio videlicet, ad dextram poſita eſt Tiara Pontificia, ad Siniſtram autem Corona Imperialis; Has claudunt à dextra Corona Polonica, ad ſiniſtram autem Pileus Ducalis Venetorum. Id video, inquit NEARISTOZETUS, & miror, non tantùm quòd Bonannus etiam ad fœdus prioris anni, inter Imperatorem & Regem Poloniæ videatur reſpicere, cùm tamen annus adjectus, imò & Coronarum numerus id excludat; Sed etiam, & quidem præcipuè, quòd inter fœderatorum Coronas etiam Tiara Pontificia ponatur, cùm tamen fœdus hoc tantùm *trium* fuerit, IMPERATORIS videlicet, REGIS POLONIÆ & DUCIS VENETORUM, id quod etiam Bonannus agnoſcit, *Triplex* hoc fœdus appellans. Triplex, reſpondit DULODORUS, ſed Patrocinante Pontifice; Hic enim, licet fidem ſuam ſolenni juramentò non adſtrinxerit, tamen fœderis author fuit: & Juramenti, quò id firmatum eſt, & teſtis & vades. Juramentum, inquit NEARISTOZETUS, Romæ coram Pontifice ſolennique Cardinalium conſeſſu, Anno 1684. Pontificatûs Innocentii VIII. præſtitum eſſe, ex Inſtrumentis, ipſaque juramenti formula, à Bonanno publicatis, conſtat: undè ſimul & diſcimus, pro *Imperatore*, D. Carolum Epiſcopum Sabinenſem S. R. E. Cardinalem: pro *Rege Poloniæ*, D. Carolum S. R. E. Card. Barberinum: pro *Duce Veneto* D. Petrum Epiſc. Tuſculanum S. R. E. Card. Ottobonum juramentum præſtitiſſe; Sed his non obſtantibus non video, quò jure Tiaram ſuam fœderatorum Coronis Pontifex addiderit? Si hoc parum putas, reſpondit DULODORUS, ſcito Pontificem ad fœdus plus contuliſſe, quàm ullum fœderatorum, non tantùm quòd ipſe militem miſerit, ſed præcipuè quòd ingentes pecuniarum ſummas iis ſubmiſerit: qua de re Theatrum Europæum teſtimonium nunquam intermoriturum perhibet, adeò ut non precibus tantùm, ſed & ipſâ re fœderatis, ſe non tantùm *amicum*, ſed & *plusquam fœderatum* exhibuerit: id quod cauſæ eſſe poteſt, ut Tiara ejus inter Coronas fœderatorum appareat, cum interim Spiritui Sancto, qui ſub radiante Columba deſcendit, fœderis firmitatem ardenter commendet: HABETO NOS FOEDERATOS! exclamans. Imò & votum addens: ET SERVIEMUS TIBI! Hoc idem eſt, repoſuit NEARISTOZETUS, quod & in exteriore circulo legimus, ut ſupra oſtendiſti. Quid autem menſa, cui coronæ hæ impoſitæ ſunt? An fulcri tantùm rationem obtinet? Menſam ſi ſtatuas, reſpondit DULODORUS, quod & me feciſſe recordor, forſan arbitraberis: ſed muto ſententiam, Aramque eſſe decerno: quò poſitò, apertum eſt, non fulcri tantùm rationem, ſed & ſanctitatis concurrere, quòd fœdus hoc non fluxum ſit, humanisque viribus, ſed ſanctitate Divinâ fulciatur; Id enim ejus vinculum coram Pontifice ſolenni juramento firmatum, luce meridianâ clarius demonſtrat. Subit

NUMI-

NUMISMA ARGENTEUM
ALEXANDRI VIII. P. M.
Cum
ZODIACO DUO HEMISPHÆRIA JUNGENTE.



Quod Numiſma meritò produco; Licet enim Bonannus id jam publicaverit, Lectoris tamen perſpicacitati permiſit, an aſſequi poſſit, quid Symbolô hôc Author voluerit? Recordor, inquit NEARISTOZETUS, & quidem, niſi fallor, Bonannus Authorem ignotum facit, cùm tamen ſub ala Pontificis nomen *Hamerani* legatur. Quid autem? Annon Bonannus ad Gentilitia ſtemmata familiæ Ottobonæ proludi poſſe, eleganter omninò conjicit? eò quòd in illis Zona, transverſum ducta, campum colore viridi & cyaneo bifariam ſecet, color autem cyaneus *Cœlum*, viridis autem *Tellurem* indicare poſſit, adeòque cum lemmate MUNIT & UNIT optimè etiam de Pontifice enunciari; Sicut enim Tellurem cœlumque *Munit* & *Unit* hæc Zona, ita terram cum cœlo Alexander *univit*, cum Pontificià poteſtate B. Laurentium Juſtinianum inter Sanctos adſcripſit. Ita Bonannum ſentire, excepit DULODORUS, non nego: nec forſan adeò malè, cùm & in pallio Pontificali ſanctum aliquem, caput ſtellis circumdatum videam, qui proculdubio ille Laurentius Juſtinianus fuerit. Imò & illud aſſertum juvare poterit, quod in hæmiſphærio Aqueo-terreſtri figura Italiæ cum adjacentibus Inſulis & Maribus liquidò noſcatur: unde dubitari non poteſt, quin lemma *munit* & *unit* non ad hæmiſphærium tantùm cœleſte, quod ſuprà Zodiacum ſtellis & nubibus ſignatur; ſed etiam ad terreſtre pertineat, quòd ſcilicet Pontifex utrumque, & Cœlum & Terram, & *muniat* & *uniat*. Quanquam artifex non adeò concinnè hemiſphærium Terræ eâdem circuli magnitudine exhibuerit, quâ & Cœlum, cùm tamen hujus reſpectu Terra vix globuli minoris menſuram expleat: Non adeò concinnè Zodiacum duplici faſciâ, duplicique ſignorum ordine conſpicuum dederit, cùm tamen non hôc ſitu Aſtronomis Signa ponantur, ſed ſex ſupra horizontem apparentibus, ſex reliqua ſub eodem latere ſoleant. Benè hoc obſervas, inquit NEARISTOZETUS, nec ego video, quòmodo factum excuſare poſſim, niſi fortè ſigna ideò duplicata aſſeras, ut & hemiſphærium latens deſignetur. At hoc, repoſuit DULODORUS, aptius intelligeretur, ſi Zodicus ſimplex tantùm eſſet, & altero tantùm ſignorum ordine radiaret; ita enim ſphæram verè *muniret* & *uniret*, cum nunc, ubi apparens tantùm hemiſphærium ambit, eam nec *muniat* nec *uniat*. Alii hoc dubium ſolvant, ſubjecit NEARISTOZETUS. Nobis ſufficere poteſt adſtructa Bonanni conjectura, quæ utique de vero Emblematis ſenſu nos dubitare non ſinit. An in omnibus ſuffragari poſſim, inquit DULODORUS, ego adhuc dubito. Quid enim? annon, ſi

ſi unica de adſcripto Sanctorum cætui Laurentio Juſtiniano ratio valeat; Annon, inquam, hoc gloriæ Pontificis derogabit? Sedulitatem Ego, & efficaciam muneris paſtoritii adumbratas crediderim, quibus non unum tantum Sanctum; ſed totum orbem Catholico-Romanum videatur ſalvare voluiſſe. Id ſane innuit aliud Numiſma, OPT. ORBIS PASTORI, inſcriptum; Fidus enim Orbis Paſtor & *munit* Gregem & *unit*: *Munit* contra fidei hoſtes, *unit* & inter ſe & cum Deo & Sanctis. Dum de Sanctis loqueris, excepit NEARISTOZETUS, commodè quæſierim, annon ſub ſtellis ii adumbrentur? Et dum de Orbe; annon de ſola Italia cogitandum ſit? cùm hæc potiſſimùm in Sphæra appareat? Italiam ſanè cumprimis Pontifices contra vim hoſtium, etiam Politicorum, *munire*, eumque in finem etiam fœderibus, cum aliis potentiis, *unire* ſolent: Et cum Pontifex hic natione Venetus fuerit, annon rectè dicatur *munire & unire* Italiam, viribus Venetorum, viribus Pontificiis adjunctis? Hæc in medio ſint, ſubjecit DULODORUS. Sequuntur

NUMISMATA ARGENTEUM ET ÆREUM **INNOCENTII XII. PONT. MAX.** CREATIONEM ET VOTA PUBLICA CONTINENTIA.



Non creationem, inquit NEARISTOZETUS, ſed creationis tempus; Ita enim in priore legitur: INNOCENTIUS. XII. PIGNATEL. NEAP. PONT. MAX. CREATUS. D. XII. JULII. M. DC. XCI. & in poſteriore circa effigiem: *INNOCentius XII. PONTifex MAXimus CREATus Die XII. JULII. M DC XCI.* At, inquit DULODORUS, annon in utriusque averſa, impoſita Clypeo Corona Pontificia, prominentesque juxta eam claves, creationem apertè evincunt? Clypeus enim tres ollas exhibet, gentilitium Pontificis inſigne, quod ut primum Numiſma habet, *ex antiquiſſima Pignatellorum Neapolitanorum familia natus eſſet*, quæ ollas nigras, quas Italicè *Pignatellas* vocabant, in campo aureo oſtentaret. Ternas, inquit NEARISTOZETUS, de earum origine opiniones enarrat Bonannus. Ego, reſpondit DULODORUS, duas priores præfero, quòd tertia ollas igne repletas ſtatuat, quales in Nummo non ſunt! Priores, inquam, quæ primum ejus Gentis tres ollas argenteas, fumo obductas, ex palatio hoſtili Conſtantinopolitano rapuiſſe ſtatuunt, indeque à Rege Ro-

 gerio

gerio hoc insigne fortitudinis suæ nactum esse. Hæc patent, inquit NEARISTOZETUS; at non æquè, cur *Justitia* & *Pax*, insignia Pontificia extollentes, VOTA PUBLICA inscribantur? An quòd publicè voveretur, ut Justitia & Pax Pontificatum Innocentii nobilitarent? Rem acu, respondit DULODORUS; ideò enim & alia Numismata apud Bonannum prostant, quorum in *uno* Columba radiata subscribitur: PACEM DONES PROTINUS! & in aliis *duobus* Justitia sedens, dextrâque bilancem & gladium, sinistrâ ramum oleæ extollens cum inscriptione: JUSTITIA & ABUNDANTIA PACIS: Ex Psalmo videlicet 71. v. 9. *Orietur in diebus ejus JUSTITIA & ABUNDANTIA PACIS, donec auferatur Luna.* Rectè autem Justitia & Pax conjunguntur, quòd inter arma leges sileant: armis autem, quod in Nummo ex antiquis desumtum cernimus, à pace combustis, & æquitatis statera & scelerum ultor Justitiæ gladius, pro salute publica vigilent. Quæ autem, inquit NEARISTOZETUS, voti causa? Bella, respondit DULODORUS, quæ ut sub Creationem Pontificis Europam macerabant, ita & postea durârunt, donec Anno 1698. Pontificatûs videlicet Innocentii VII. Vota implerentur, Europæque *Pax*, simulque cum pace *Justitia* reviviscerent, Gloriamque Pontificis ex publico Numismatis nostri voto extollerent. In primi Numismatis exteriore circulo, inquit NEARISTOZETUS, leguntur verba: NIHIL PRO NOBIS; Sed ut verum fatear, sensum eorum non capio. Quid? an sunt Pontificis symbolum? Fortassis, respondit DULODORUS, quanquam pro certo id affirmare non ausim. Quod sensum attinet, Eum planum arbitror; indicatur enim Pontificis continentia, quod nihil ex Pontificiis facultatibus pro se, sed omnia pro bono Publico, Ecclesiæque incremento, impensurus sit. Sed hæc de Pontificum Numismatibus sufficiant. Subeunt

NUMISMATA CARDINALIUM.

Licet duorum tantùm, talium tamen, quorum prudentia hodiénum in admiratione est. En

NUMISMA ARGENTEUM CARDINALIS DUCIS DE RICHELIEU

Anno 1634.

SECURITATE PARISIIS, AN GALLIS? PRÆSTITA, PERCUSSUM.



Notissima est Cardinalis effigies, inquit NEARISTOZETUS, sed aversa mihi

mihi obscurior videtur. Quid enim? An navis Cardinalem refert? An Inscriptio de eo dici potest? Neutrum opus est, respondit DULODORUS. Typus enim Emblema Heroicum non exhibet, sed ex historiâ & Emblemate mixtus est. Ut urbem Lutetiam, vel etiam Galliam, adumbraret Author, non quidem Urbem aut Galliam ipsam, sed *Navim* expressit, & Lutetiæ insigne, & Regni symbolum. De insigni urbis dicam infra ad Numisma Ludovici Magni: De symbolo Regni apertum est ex ratione; Quod enim Navarchus in navi, id Rex in Regno est. Et hactenus typus aliquid ex Emblemate trahit. Non de Rege hîc sermo est, excepit NEARISTOZETUS; sed de Cardinale Duce de Richelieu. Id nihil obstat, respondit DULODORUS; ut enim Naucleri prudentia navim gubernat, Navarchi autem dignitati nihil derogat; ita & hîc Regis prærogativæ nihil decedit, licet Cardinale Duce Lutetia, imò tota Gallia, tuta memoretur. Et sic typus historiæ vindicatur; nam sub pronomine HOC, alius non intelligitur, quàm cujus in adversa Effigies, Nomen, & Tituli sunt: inventò vel ideò æstimandò, quòd & sub vocabulo DUCE duplex sensus lateat, *dignitatis* videlicet & *meritorum*. Si dignitatem respicias, Amandum Johannem Cardinalem DUCEM de Richelieu, etiam in adversa legis: si merita *Ducem Consiliorum* agnosces, quibus Lutetia, totaque Gallia tuta perstitit. Magnum Elogium, excepit NEARISTOZETUS; An autem & veritate nititur? Si historiam anni 1634. in Numismate adscripti, consulas, respondit DULODORUS, nihil dubitabis. Secesserant Parisiis, & Regia mater, & Regis frater, non amicâ gratulatione dimissi, sed Regis, Cardinali addictioris, placidis offensi: Secesserant, non innocuò itinere, sed Bruxellas, in tutelam Regis Hispaniarum, Regi & Regno Galliæ non exiguam, ut videbantur, tempestatem moturi. Id frater Regis, Dux Aurelianensis, perniciosissimò Galliæ fœdere destinaverat, quod in Theatro Europæo, Tom. III. videri potest. Sed has Machinationes Cardinalis prudentia prævertit, Regis fratre permotò, ut relictis Hispanorum partibus, per speciem Venationis, Bruxellis hôc annô discederet, Lutetiamque, Regis Gratiæ se permissurus, advolaret. Quid Lutetia? Quid Gallia metu intestini belli tunc liberata? Nonne se *tutam Duce Cardinale* jure pronunciaverit? Notandum sanè, quod in Theatr. Eur. Ejus se consilia secuturum, ipse frater Regis promiserit. **Als der König seinem Bruder sagte: Mein Bruder / ich bitte euch / ihr wollet den Herrn Cardinal lieben. Antwortet ihm der** Monsieur: **Ich wil ihn so lieb haben / als mich selbsten / und bin** resolvirt **seinen Rathschlägen zu folgen.** Sequitur

NUMISMA ARGENTEUM
Ejusdem
CARDINALIS RICHELIEU,
SUB FINEM VITÆ PERCUSSUM.



Annus adscriptus est, excepit NEARISTOZETUS, nisi fallor idem, quò

& Richelieu mortuus memoratur: indeque facilè crediderim, ſub Leone ægro, in averſa expreſſo, eundem jam morbo languidum intelligi debere. Quid autem Canes? an hoſtes adumbrant? Hos ipſos, reſpondit DULODORUS; id enim arguit Lemma: *Potentior Hoſtibus æger*, elegantiſſimum ſanè, cùm Emblematis naturam omnibus numeris abſolvat; ut enim ſub Canibus Leonem infeſtantibus Cardinalis hoſtes; ita ſub Leone ægro non tantùm adverſam Cardinalis valetudinem; ſed & ejusdem potentiam, eamque hoſtibus majorem, docet adumbrari. Securus enim quieſcit Leo, & vel quieſcendo hoſtium rabiem elidit? An ita & Cardinalis? excepit NEARISTOZETUS. Omninò, reſpondit DULODORUS. Hoſtes ejus erant *Regia Mater*, *Dux Aurelianenſis Regis frater*, & *Dux Bullionius*, cum pluribus aliis horum ſuffraganeis, inter quos non poſtremus erat *Dominus le Grand*, aliàs *d'Effiat* dictus, de quo in Theatro Europæo Tom. IV. p. 784. ſequentia leguntur: Es hatte [illegible] le Grand oder d'Effiat dem König ſchon eine Furcht eingejagt / ihn, daß er ihn [illegible] / und den Herrn Cardinal Richelieu gantz und gar aufgebe / zu [illegible] / mit deme er es allbereit ſo weit gebracht hatte / daß ihm der König bald die Hände bißweilen die Haar oder das Angeſicht / küſſete. Und hatte der Cardinal / wie auch Monſ de Chavigny und de Noyers genug zu thun / dem König die eingepflantzte Furcht wieder zu benehmen. Locus ad rem facit, inquit NEARISTOZETUS; An autem & edoces, Cardinalem hoſtibus potentiorem fuiſſe? Imò fuit, reſpondit DULODORUS, cùm Regina mater Coloniæ mortem; & Ducum, Aurelianenſis & Bullionæi, conſpiratio patefacta, ſuppliciisque dicti Domini le Grand, aut d'Effiat, & Domini Thuani expiata fuiſſet: de qua re dictò Theatri Europæi locò latius docemur. Tunc ſanè *Æger Cardinalis hoſtibus ſuis potentior fuit*, non minus ac *Æger Leo potentior* tamen *eſt Canibus*. Ex his dubium naſcitur, inquit NEARISTOZETUS, an ſub duobus in Numiſmate Canibus duo Duces, Aurelianenſis & Bullionæus, intelligendi ſint? an autem Domini d'Effiat & de Thou? Poſteriores præferrem, reſpondit DULODORUS, non tantùm æquior in dignitatem Generis Regiam, ſed & quòd horum culpa Cardinali & infeſtior fuerit, & in vulgus magis effulſerit. De Duce Aurelianenſi, certè, in eodem Theatro Europæo, ſequentia leguntur: Des Königs Bruder / Duc d'Orleans, war zu dieſer Conſpiration mit perſuadirt. Sed vocat nos

NUMISMA ARGENTEUM
CARDINALIS MAZARINI,
UTILISSIMAM REIPUBLICÆ PROVIDENTIAM DEMONSTRANS.



Cardinalem agnoſco, inquit NEARISTOZETUS. Eadem Ejus effigies eſt, quæ

quæ & ære expressa in historiis occurrit. Non effigies, excepit DULODORUS, sed aversæ Emblema, Numismati locum conciliat. Solem video, subjecit NEARISTOZETUS, aut si mavis Solis radios, Globum Terræ illustrantes. Quid hoc ad Cardinalem, cùm Sol Regis hieroglyphicum sit? Proposito in Numismate, respondit DULODORUS, est Mazarini, significatque: *Ut à Sole Terris, ita & à Cardinale Galliis & ordinem & rerum copiam procedere.* Eleganter! excepit NEARISTOZETUS; Mazarinus enim supremus Regni Minister erat, à quo in Regno & ordinem & rerum Copiam quis non speraret? Generale id meritum foret, respondit DULODORUS. Ad Numisma autem specialius agendum. Et quomodo? subjecit NEARISTOZETUS. Nonne Emblema ad meritum generale pertingit? Id non nego, respondit DULODORUS, sed adscriptus annorum numerus meritum speciale arguit. Numerus annorum, regessit NEARISTOZETUS, ad Numismatis ætatem pertinere potest, indeque nisi meritum speciale liquidò demonstres, Tibi non accedo. Res facilis est, respondit DULODORUS. Anno 1660. Numisma percussum esse, ex hoc adscripto annorum numero liquet: Et Anno, si non eodem, certè præcedente, non tantùm Pax cum Hispanis facta est; sed &, pacis fulcrum, Regiæ nuptiæ celebratæ sunt. Quid hoc ad Cardinalem? excepit NEARISTOZETUS. Cardinalis, respondit DULODORUS, conciliaverat & Pacem & Nuptias, idque in Insula fluvii *Bidassoa*, in confiniis Regnorum, juxta montes Pyrenæos, cui nomen *Insula Phasanorum* memoratur. Convenerat ibidem cum Ludovico de Haro, supremo Regis Hispaniæ Ministro, pacisque & nuptiarum conditiones constituit, uti latiùs videre est in Theatro Europæo T. VIII. p. 1186. seqq. ex quo non piget sequentia p. 1191. adscribere. Hierauff nun kriegte alles einen schleunigen Fortgang/ so das am 28. Oct. 7. Novembr. das gantze Friedens-Werck und die Heyraths-Tractaten mit der Königl. Infantin/ von den beyden hohen Staats-Ministris, Printzen Don Louis de Haro, und Herrn Cardinal Mazarini, in Beyseyn der vornehmsten Cavaliers von ihren Suiten/ unterschrieben ward. Quid videtur? NEARISTOZETE. Qui Pacem & Reginam Regno Galliæ conciliavit, nonne videatur, & *ordinem & rerum copiam*, Pacis & Nuptiarum progeniem, Regno attulisse? Subit aliud

NUMISMA ARGENTEUM
Ejusdem
CARDINALIS MAZARINI,
CONSILIORUM FELICITATEM INDIGITANS.




Oculus hanc adumbrat, excepit NEARISTOZETUS, nec abs ratione; Oculus enim

enim Conſilii hieroglyphicum eſt, quòd vias exploret, per quas ambulamus. Inde Salomo Prov. 4. *Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.* Hactenus benè, reſpondit DULODORUS; Notandum autem, Oculum in nummo non humanum, ſed Cœleſtem notari, qui Providentiæ Divinæ ſymbolum eſt; de hoc enim propriè dixeris: ET NUTUM FATA SEQUUNTUR. Cœleſtem, excepit NEARISTOZETUS, & radii & ſitus demonſtrant; ſed ſi hoc ſtatuam, vereor, ne extra ſphæram Emblematis Inventor abierit? Quid ambitio humana, dicam, an adulatio? regeſſit DULODORUS, relinquit intactum?

Cœlum ipſum petimus ſtultitiâ.

Quicquid autem ſit, quod de Oculo Cœleſti, id eſt Providentia Dei aſſerit averſa, *nutum* videlicet *fata ſequi:* id & de Cardinale ipſo, ratione, ſi non pari, tamen aliquo modo ſimili dixeris, cùm toto Miniſterii ſui tempore, rariſſimâ conſiliorum, prudentiæque luce effulſerit, & tantò providentiæ ardore, tantâ felicitate fuerit uſus, ut non tantùm impleverit, quod Salluſtius præcipit: *Priusquam incipias, conſultò: & ubi conſulueris, maturè facto opus eſt*; Sed & divinitatem, & conſultando & exequendo, videri potuerit fuiſſe æmulatus. Id ſanè inſcriptio arguit: ET NUTUM FATA SEQUUNTUR. Sequitur Tertium

NUMISMA ARGENTEUM
CARDINALIS MAZARINI
ARCIS REGIÆ RESTITUTIONEM CURATURI.



Inſcriptio hujus Numiſmatis, inquit NEARISTOZETUS, de Cardinale rectè dicitur. At de figura averſæ qui intelligi poſſit, non video; nihil enim hic, niſi imperfecta adhuc ædificii cujusdam ſtructura cernitur, quæ neſcio quò ſenſu inſcribatur: ALTERNAT PALLADIS ARTES? Emblema Heroicum venaris, inquit DULODORUS, & fateor, tale facillimè ſtrui potuiſſe appoſito videlicet Rege quodam, ſceptrò ſtructuram urgente, qualiter Æneas apud Virgilium pingi ſolet, arces Carthaginis extruens, cui proindè Mercurius: *Quid ſtruis?* Aut qualiter Nimrod ad Turrim Babilonicam. Uterque ſanè eleganter inſcriberetur *alternat Palladis artes*, quòd ſcilicet à rebus bellicis, ad Architecturam conſilia videantur contuliſſe, non minus ac Cardinalis, arcis Regiæ reſtitutionem moliens, à curis politicis. Sed notandum, typum hunc non Emblematicum, ſed Hiſtoricum eſſe: Senſuque proinde non duplici, ſed ſimplici cenſendum, quem inſcriptiones tàm adverſæ, quàm averſæ, ſimul cum ſtructura, efficiant; hæc enim ideò tantùm adjecta eſt, ut innuatur, quam rem aggreſſus, Palladis artes Cardinalis alternet. An tot ſunt Palladis artes, excepit NEARISTOZETUS, ut eas determinare neceſſe fuerit? Et an etiam Architectura artibus Palladiis accenſetur? Architecturam, reſpondit DULODORUS, artibus Palladiis accenſeri, indubium eſt. Teſtatur vulgatum illud:

Pallas

Pallas, quas condidit arces,
Ipsa colat.

Ut taceam Elogium Μεχανίτιδος, quod Minervæ, quæ cum Pallade eadem est, ab artibus Mechanicis inditum, haud abs ratione credas. Artibus autem multis, ne dicam omnibus, Palladem præsidere, non miraberis, cùm artes sapientiæ proles sint; Pallas autem sapientiæ Dea, ob hujus sedem in capite, ex Capite Jovis prognata feratur. Ita non tantùm bellorum arbitra, sed & pacis, ut alibi dicetur: Non tantùm Architecturæ, sed & texturæ, secundum illud Propertii L. 4.

Coæ textura Minervæ,

Et forum Palladium, quod ex ditissimis Antiquitatis fontibus protulit, in Admirandis Statuariæ, celeberrimus Sanctus Bartolus. Texturæ, inquit NEARISTOZETUS, in Nummo nulla est mentio; Nec ea Cardinalis gloriæ cederet, respondit DULODORUS, proindeque ut amoveretur, necesse omninò fuit, addi Specimen Architecturæ, ut intelligeretur, solitas sibi artes Palladias Prudentiam videlicet consiliorum, se alternasse quidem, sed non texturâ, non Militiâ, aut aliâ sibi non conveniente; sed Architecturâ, quâ Regi suo integritatem & venustatem Palatii restiturus sit, ut hactenus restituerit venustatem Regni. An illud Palatium memoras, inquit NEARISTOZETUS, quod vulgo *le Louvre* appellant? Illud ipsum, respondit DULODORUS; Hoc enim eodem, quò Numisma percussum est, annô, & quidem sub initium die videlicet 27. Jnnuarii incendio fortuito fuerat mutilatum. Audi verba Theatri Europ. Tom. IX. pag. 465. **Der König suchte der Königin immer neue Lust und Ergötzlichkeit zu machen / bald mit Comedien / dann mit Tantzen / und sonderlich ward gar eyffrig an einen grossen Ballet in dem** Louvre **gearbeitet. Der Arbeiter Unachtsamkeit aber brachte in solchen Fröhligkeiten einen grossen Schrecken und schmertzliche Widerwärtigkeit / in dem durch ihr Versehen den** 27. **Januarii (**6. **Februarii) in dem schönen Saale zwischen der Königl. Capelle und einem andern Saale eine gehlinge und wütende Feuers-Brunst auskam / welche innerhalb vier Stunden denselben schönen Saal fast gantz und den grossen dabey zum Theil mit vielen raren Tapezereyen / Gemählden / und andern seltsamen Kostbarkeiten / wie auch bey dreyßig oder viertzig Ruthen von der grossen** Gallerie, **so König Henrich der** IV. **bauen lassen / in die Asche legte / und über** 2. **Millionen Schaden thât.** Damnum ingens! exclamavit NEARISTOZETUS, & dignum, cui restituendo supremus Regni Minister ingenium commodaret; at nisi fallor Mazarinus brevi post mortuus est? Non falleris, respondit DULODORUS, Mortuus memoratur, die 27. Februarii, adeòque uno post incendium illud mense. Cùm autem ad extremum usque vitæ halitum negotiis vacasse memoretur, mirum non est, si & reparando incendii damno curas suas impenderit, easque hoc Nummo expressas credamus. Subjectus sanè annus 1661. rem aliò detorqueri non patitur. Unum restat, inquit NEARISTOZETUS, & quidem in Titulis Mazarini. Non CARDinalis tantùm & DUX; sed & REGni ARCHIMareschallus dicitur. Cave credas! reposuit DULODORUS. Potius REGius ARCHIMedes legeres; Id enim elogium & cum Architectura convenit, & fulcitur Collegio Mazarinæo, Palatioque Thuilleriano, quæ & ipsa Cardinalis hic legitur exstruxisse. Sequuntur

NUMI-

NUMISMATA ARCHIEPISCOPORUM,

Et ipſa quidem pauciora, ſed nobis eò minus omittenda, quò clarius genium eorum oſtendunt, quorum memoriæ percuſſa ſunt. Primas tenet

NUMISMA AUREUM JOHANNIS PHILIPPI, ARCHIEPISCOPI ET ELECTORIS MOGUNTINI, FIDUCIAM IN DEO COLLOCANTIS.



Pluribus Hic titulis fulget, inquit NEARISTOZETUS; ſed cum plerique literis, vel unicis, vel paucis tantùm, expreſſi ſint, neſcio, an minus exercitati eos aſſequantur. Ita leges, reſpondit DULODORUS:

> JOHannes PHILippus Dei Gratia Sanctæ Sedis MOGuntinæ ARCHIEPiſcopus, Sacri Romani Imperii Princeps, GERmaniæ ARCHICancellarius, PRinceps ELector, EPiſcopus HERBipolitanus, FRancorum ORientalium DUX.

An dignitates hæ, quæſivit NEARISTOZETUS, etiam in Inſignibus expreſſæ ſunt? Non omnes, reſpondit DULODORUS; nihil enim in his, præter *Rotam Moguntinam*, quam à Willigiſi, Carpentarii filio, deducunt, hodièque Archi-Epiſcopi Moguntini argenteam in parma rubea uſurpant: Inde *vexillum* eſt, miniò & argentò quadripartitum, ex aurea lancea dependens, in parma cœrulea, Epiſcopatûs Herbipolenſis inſigne: Tandem *Tres Cuſpides* viſuntur eâ parte, quâ aſcendunt, argentei: quâ deſcendunt, rubei, δεῖγμα Ducum Franconiæ, de quibus omnibus latius admodùm Reverendus Spenerus in Op. Herald. parte ſpeciali p. 256. ſeqq. Quid autem Parma media? excepit NEARISTOZETUS. Gentilitia eſt, reſpondit DULODORUS, & quidem Gentis *Schönbornianæ*, ex qua Johannes Philippus ortum ducebat; Ita enim idem Author: *Parmula media rubea, referens Leonem aureum, coronatum, tribus rupibus, vel cuſpidibus, argenteis inſiſtentem.* Δεῖγμα *hoc Electori fuit Gentile, ut videre eſt Wapenbuch p. 133. Sed ut figura illa corrigenda ſit ex iſta. Familia*, pergit, *Schœnbornia in Rhenanis Equeſtribus imprimis celebris multò tempore fuit.* Si hoc ita ſit, excepit NEARISTOZETUS, Ego tres Cuſpides, quibus totus inſigniorum Clypeus ab Angelis imponitur, ex hac gentilitia parma deſumtos, adeòque, docente lemmate, non *Cuſpides*, aut *Rupes*, appellandos arbitrarer, ſed *Montes*. Fortaſſis non adeò malè, reſpondit DULODORUS, quanquam & *Montes* appel-

appellati videri possint, ut ratio emblemati constaret. At, inquit NEARISTOZETUS, annon hoc, quòd cuspides, aut rupes, ex suo insigni Gentilitio desumtos, MONTES SANCTOS inscripsit, Electoris superbiam arguat? quasi in se recognoscenda sint ternæ dignitatis fundamenta? Non arbitror, respondit DULODORUS; ut enim montes etiam aliunde, ita & ex parma sua gentilitia desumere potuit, cùm hos adjectum *sanctitatis* Elogium determinet, adeòque Divinitati adscribat. Verum scilicet hìc Emblema Heroicum agnosco, cùm duplex sensus sit, & Lemma non tantùm de clypeo, sed & de ipso Electore intelligi possit, cujus proindè fiducia in Deo, eleganter eô videtur expressa, sive personam ejus respicias, sive officium & dignitatem; Utrinque enim rectè pronunciabis: FUNDAMENTA EJUS IN MONTIBUS SANCTIS Sequuntur

NUMISMATA ARGENTEUM ET AUREUM. JOHANNIS HUGONIS, ARCHIEPISCOPI TREVIRENSIS, PIETATEM, ET IN DEO FIDUCIAM, TESTANTIA.



Virtutes Archi-Episcopo dignissimas, & quas æternâ suâ cum Gloriâ non semel demonstravit. IN MANIBUS TUIS, inquit, SORTES MEÆ: adeòque fatetur, nihil sibi absque Dei nutu, vel minimùm, nocere posse. HIS ARMIS! ait, in Numismate secundo: adeòque declarat, non armis Martiis se, sed spiritualibus confidere. Hæc clara sunt, excepit NEARISTOZETUS, at non æque arma ipsa, sive Insignia; nam tribus hæc Clypeis distincta video: Et Clypei quidem, securitatem ab hostibus designare possunt, quid autem figuræ iis expressæ? *Crucem* in omnibus vides, respondit DULODORUS, adeòque intelligis, fiduciam in crucifixo. *Crux* à dextris, Trevirensis est, rubra videlicet, in laterculo argenteo; *Crux* à sinistris, Spirensem notat, eamque argenteam in solo cœruleo; Mediam Reverendissimus Spenerus *decussim rubeam* appellat,

cui comites *quatuor folia viridia*, in parma aurea, insignia *Orsbekiorum* sint, ex nobilitate Rhenana, ut videre est apud Sibmach. P. 1. p. 124. ubi tamen falsò *Orsberg* dicantur: Clypeus igitur hic Johanni Hugoni gentilitius fuit, eumque ex familia *Orsbekiorum* oriundum demonstrat. Quid autem parmulæ prioribus impositæ? subjecit NEARISTOZETUS. Altera, respondit DULODORUS, *Agnum Prumiensem* exhibet: Prumiensis scilicet Monasterii & Abbatiæ in Sylva Arduenna, de cujus origine, & quomodo ad Archi-Episcopos Trevirensis ejus administratio pervenerit, idem Author docet, qui simul & testatur, scutulum *rubeum* esse, in eoque humo viridi insistere *agnum argenteum*, cum *vexillo* ejusdem metalli, cruce impresso: Altera exhibet *Castrum* cum *corona* & *pedo* Weissenburgiorum insigne. De Weissenburgiorum Abbatia idem Spenerus plura. Areola rubea est, castrum δίπυργον, argenteum, opere cæmentario nigro, ex quo *pedum* Abbatis Weissenburgensis protenditur, & desuper incumbit *corona*. His ita deductis, inquit NEARISTOZETUS, jam clarior est sensus verborum: IN MANIBUS TUIS SORTES MEÆ; Verè enim & Archi-Episcopatus Trevirensis, & Episcopatus Spirensis, & Abbatiæ, Prumiensis & Weissenburgica, *Sortes* dicuntur, quòd quasi à sorte, quam nos Providentiam Dei vocamus, Johanni Hugoni obvenerint: Reverâ & *sors* vocabitur Electoris nativitas, quòd hæc ex nobili eidem familia contigerit, cujus meritis non minus, ac suâ virtute, ad tantas dignitates, postea assurgere potuerit. Idem, subjecit DULODORUS, etiam de Numismate secundo dixeris; neque enim sola *Crux* fiduciam in Deo arguit, ut suprà diximus; sed & *Agnus Prumiensis*, quem non absurdè ad Agnum Paschalem, Jesum Christum, retuleris: Imò & *Castrum Weissenburgicum*; Castrum enim fortissimum est Deus noster: Et quid de *foliis viridibus Orsbeckiorum* dicemus? Nonne & color & folia spei insignia sunt? adeò ut HIS ARMIS pientissimus Elector, verè & hostes debellaturus, & sibi simul suisque Victorias, quæ palmis adumbrantur, imò & securitatem, quæ clypeis, non obscurè videatur promittere. Sequitur

NUMISMA AUREUM
FERDINANDI, ARCHIEPISCOPI ET ELECTORIS COLONIENSIS ET DUCIS BAVARIÆ,
FIDEM IMPERIO AVITAM SPONDENTIS.



Tertius hic fuit Wilhelmi V. filius, Maximiliani, qui bello tricennali, quòd pro Imperatore stetisset, Electoratum, superioremque Palatinatum, familiæ suæ attulit, frater: quibus obtinendis operam Hic non inanem attulisse traditur. Historia mihi nota est, subjecit NEARISTOZETUS. Successit patruo Ernesto, præ-

præfuitque ab anno 1612. ad annum 1650. usque, cujus die 13. menſis Decembris mortuus fertur. Sed hæc utut ſint, Emblema tamen, apertè fateor, me non intelligere. Intelliges, reſpondit DULODORUS, ſi ſub Leone, Palatino videlicet illo, quem ob Origines communes, etiam Duces Bavariæ oſtentant, ipſum Ferdinandum,& ſubSceptro Imperium Romano-Germanicum agnoſcas; ita enim facilè dabis, Electorem inuere velle: etiam ſi dormire videatur, tamen pro Imperii Pace & Gloria, quæ ramis Oleæ & Lauri, utrinque additis, deſignantur, non vigilaturum tantùm, ſed & idem omnibus ſuis viribus ſuſtentaturum: idque non cœco impetu, ſed providentiæ Dei confiſum, quàm proſpiciente ex nubibus oculo adumbratam, non eſt quod dubites. Hic forſitan ſenſus fuerit, excepit NEARISTOZETUS, quanquam non aſſequar, quâ veri ſpecie Lemma, AVITA FIDE, addi potuerit, cùm conſtet Abavum ejus Albertum IV. Ratisbonam occupaſſe, eòque Cæſaris iram in ſe concitaſſe: Imò & Proavum variis, quanquam inanibus, conſiliis Carolum V. ſolio Imperiali dejicere, ſeque ejus in locum reponere conatum, id quod utrumque vel ex Tabulis Genealogicis docemur, quas *Author Notitiæ Procerum* nuper linguâ Teutonicâ publici juris fecit: adeò ut lemma hoc potius hodiernis Electoribus, Colonienſi videlicet & Bavariæ, quadrare poſſit, quos & ipſos, proh dolor! Imperatori & Imperio repugnare, nemo noſtrum eſt, qui ignoret. Ferdinandum, inquit DULODORUS, Majorum ſuorum errores reſpexiſſe, credibile non eſt. *Fides avita*, non ea dicitur, quam vel *Proavus* vel *Abavus* præſtitit; Sed ea, quam *Avus*. In hoc ergò Numiſmatis ſenſus quærendus eſt: Et quidem, cùm Hic non tantùm Imperatori & Imperio fidus fuerit; ſed & teſtibus iisdem Tabulis, *Leonem manſuetum ſecum duxerit*, inde arbitror apertiſſimè conſtare, cur fidem ſuam *Manſueti Leonis ſymbolô* Ferdinandus expreſſerit? imò, cur & Lemma AVITA FIDE addiderit? indicaturus videlicet, ſe non minus ac Avum Imperio fidum fore, ejusque pacem & gloriam non minus tuiturum ac Avum, licet is Leonem *manſuetum* circumduxerit, ipſeque cum omni ſuo robore videatur quieſcere. Ab Archi-Epiſcopis ad Epiſcopos tranſimus. Horum ex ordine unus ſe ſiſtit. Ecce

NUMISMA ARGENTEUM
ANDREÆ TRZEBICKI,
EPISCOPI CRACOVIENSIS,
CANDOREM CELEBRANS.



Non *Dei* tantum, excepit NEARISTOZETUS, ſed & *Apoſtolicæ ſedis* Hic *Gratiam* agnoſcit; Ita enim legitur: ANDreæ TRZEBICKI Dei & APoSTolicæ SEDis GRAtia, EPiScopus CRACOViæ, DUX SEVERIÆ. Rectè hoc, reſpondit DULODORUS, nec mirandum in Præſule Romanæ Sedi devoto,

cùm apud hos rarum non sit, Pontificem Deo æquare; Quanquam quòd Pontificum Gratiâ Episcopatus tribuantur, Ducatus autem à Deo recognosci soleant, Dei Gratiam ad Ducatum Severiæ, Gratiam Sedis Apostolicæ autem ad Episcopatum haud forsan abs ratione referas. Quicquid autem sit, illud tamen laudandum, quòd Candorem animi sui hic Præsul jactet; Cygnum enim expressit, inscripsitque: CANDORE. Cygno, excepit NEARISTOZETUS, etiam Lutherus adumbratur, sed in mentem mihi venit, quod Grammondus in Hist. Galliæ ait, Cygnum quidem candidum plumis, sed cute nigerrimum esse. Quid? An id judicii etiam in TRZEBIKIUM torquebimus? Quod in Grammondo damnas, respondit DULODORUS, ut imiteris, suadere non possum. Candor etiam errantes ornare potest, si errores suos rationibus convicti deserant, nec contra scientiæ suæ dictamen defendant. TRZEBIKIUM sane tali candore decorum, vel inde credo, fuisse, quòd *Pufendorsio*, in Gestis Friderici Wilhelmi M. Elect. Brand. *referente*, cùm Electoris cum Republica pactum eâ ratione oppugnasset, quòd se inscio hoc factum fuisset; ad informationem tamen, quâ tunc rem ad ejus dignitatem non spectasse edoctus est, justitiæ cessit, Electorisque deinceps partes amplexus est. Sed Orbis Romano-Catholici sidera ut relinquamus, Ejus Antagonistæ monent. Ecce

NUMISMATA PROTESTANTIUM,

Eorum præcipuè, quorum industriâ doctrina purior & ex tenebris extracta est, & hactenus inconcussa stetit. Inter hæc se sistit

NUMISMA ARGENTEUM JOHANNIS HUSSI, IN CONCILIO CONSTANTIENSI COMBUSTI,



Licet Historia notissima sit. Anno 1415. rem factam, vel ex Nummo constat. At qua die? excepit NEARISTOZETUS. Die 6. Julii, respondit DULODORUS, id quod ex Chronico Bohemiæ adstruxeris. Cæterùm mirari subit, eô tempore Imperatoris & Concilii potentiam: Et Imperatoris quidem, quòd Concilium contra Pontificum authoritatem sustinuerit: Concilii autem, quòd Pontifices vel solio dejecerit, vel abdicare coëgerit. Ego, inquit NEARISTOZETUS, utriusque potiùs admiror cæcitatem, quòd Lucem Evangelii, ab Husso illatam, non agnoverint, cùm tamen Pontificum scelera, vel ipsa demonstrare potuissent, aliud esse Ecclesiam *Romano-Catholicam*, aliud *Ecclesiam*

ſiam ſanctam Catholicam. Politicæ rationes, reſpondit DULODORUS, ut hodieque, ita & tunc veritati videntur obſtitiſſe. Quid enim futurum erat, ſi Huſſi confeſſio: *Credo unam ſanctam Eccleſiam*, valuiſſet? Ubi Pontificum, Cardinalium, Epiſcoporum, aliorumque Cleri Romani Procerum, qui tunc Concilio interfuére, dignitates & emolumenta? Hæc ſanè ut ſubſiſterent, fulcienda erat Eccleſia Romana: Et ne injuſtè egiſſe viderentur, non veritatis aſſertor tantùm ignibus addicendus, ſed & ſcelera Pontificis, remotione & captivitate vindicanda, ut hâc ratione & ſancti zelotæ viderentur, & ſuæ ſimul potentiæ conſulerent. Potentia, ſubjecit NEARISTOZETUS, quæ Dei vindictæ ſubjacet, fragilis eſt. Ipſe Huſſus, teſte hôc Numiſmate, dira vaticinatus eſt. CENTUM, inquit, REVOLUTIS ANNIS DEO RESPONDEBITIS ET MIHI; Vaticinium hoc, inquit DULODORUS, variè memoratur. Pars cum Authore Numiſmatis facit: Alii, quòd *Huſs* Lingua Bohemica *Anſerem* denotaret, eò alluſiſſe Huſſum tradidere, his ferè verbis: *Anſerem comburitis, ſed centum revolutis annis veniet Cygnus, quem comburere non poteritis.* Quicquid ſit, ad Lutherum vaticinium reſpicere, obſcurum non eſt; Hic enim revolutis centum annis ſurrexit, annoque 1517. Theſes primas contra indulgentias publicavit, eòque calami ſui ardore progreſſus eſt, ut maxima Regna, validiſſimas Nationes, ampliſſimas Reſpublicas à ſuperſtitionibus purgaret, Palique adeò dominationi ſubtraheret. Id apertè demonſtrat ſequens

NUMISMA ARGENTEUM
MARTINI LUTHERI,
VIRI SANCTO ET DIVINITUS ILLUMINATO CORDE MULTA STRUENTIS.



Imò *deſtruentis*, inquit NEARISTOZETUS; deſtruxit enim Pontificum Romanorum non potentiam tantùm, ſed & errores fidei, quos per totum orbem diſſeminaverant. Hoc parum fuiſſet, reſpondit DULODORUS, niſi & ſolium veritati ſtruxiſſet, fideique adeò puriori per Orbem cathetras erexiſſet, quò reſpectu verè utique dici poteſt VIR MULTA STRUENS. *Struens*, inquam, nam hâc voce deſtructio ſupponitur, non vice verſâ. Notandum autem, *Virum multa ſtruentem*, & non *virum omnia ſtruentem* appellari; reliquit enim & poſteris, quod ſtruerent. Imò Ipſe ſe omnia non potuiſſe, etiam in ſuis ſcriptis teſtatur, monetque poſteros, ut & ipſi manus admoveant. *Viro* opus erat, inquit NEARISTOZETUS; Mirum enim eſt, ex tam parvis initiis, tantam metamorphoſin enatam eſſe. De eventu, inquit DULODORUS, dubitavit &

Albertus Crantzius; cum enim Theſes Lutheri videret, hunc alloquutus, *Frater*, exclamavit, *vade in Cellam, & dic: MISERERE MEI DEUS!* Sed Deo facile eſt, etiam ex adoleſcentibus Viros efficere. Hujus virtute David Goliathum ſtravit: & eâdem confiſum etiam Lutherum, ex hoc Nummo docemur. Cor crucigerum Libro incumbens cœlitùs illuminatur. Tali, inquit NEARISTOZETUS, niſi fallor, Lutherus pro inſigni uſurpavit, nam ubique ferè, ubi ejus effigiem vidi, tali Cor appictum erat. Sed non Libro incumbens, excepit DULODORUS, nec divinitùs illuminatum; hoc enim in Numiſmate ſingulare eſt. Cor ſcilicet crucigerum fidem Lutheri in Chriſtum crucifixum denotat; ſed Libro incumbens, denotat diligentiam in ſcrutandis Scripturis, uti radii cœleſtes, divinam illuminationem, ſine quâ Scripturas incaſſum ſcrutabimur. Laudanda hæc Lutheri confeſſio, excepit NEARISTOZETUS. Optandum foret, ut idem ſpiritus omnes Ejus Doctrinam jactantes agitaret; Tunc enim tantò conatu diviſionem eorum non foverent, quos ſimul Babilonem deſeruiſſe conſtat. Optandum hoc, ſubjecit DULODORUS, ſed non ſperandum.

NUMISMA ARGENTEUM
JOHANNIS CALVINI,
PROMTE ET SINCERE IN OPERE DOMINI VERSANTIS,



Exemplum quidem & ſemitam oſtendit; ſed quot hodiè, Lutheri ſcita profeſſi, non ad Calvini nomen, tanquam ad hæretici horrent? Adeò proh dolor! hoc verum eſt, ut quidam Papiſticos errores puriſſimæ hujus doctrinæ præferre publicè fuerint auſi, cùm tamen vulgus controverſiarum neſcium, hâc ratione in Barathrum ſuperſtitionum, ex quo tantâ Lutheri conſtantiâ eductum eſt, apertiſſimè rurſus præcipitetur. An hos *promptè?* an hos *ſincerè* in opere Domini verſari arbitrabimur? Id Calvinum feciſſe, excepit NEARISTOZETUS, imò & hodiénum ejus ſequaces facere, mirum non eſt; nullò enim humani emolumenti reſpectu ad prodendum Dei honorem invitantur. Aliud autem inveneris apud eos, quorum intereſt, ut quàm plurimos ſuo ſuggeſtui addictos habeant; horum enim numerus auget magnitudinem lucri, quod tantam vim in mortalium animis habet, ut ſi aliter non poſſunt, vel ridiculò quodam habitu ſe ſuosque diſtinguendos contendant. Minus ex charitate Chriſtiana judicas, inquit DULODORUS. Ego, ut Calvini Cor non tantùm in manu Domini hìc contemplor, ſed & divinitùs illuminari video; ita &

Regum

Regum & Principum: ita & Miniſtrorum Dei, Myſtarumque Scripturæ ſacræ corda, cujuscunque demum Religionis ſint, in manu Dei arbitror eſſe, adeòque divinitùs illuminari opto, ut & ipſi *promptè:* ut & ipſi *ſincerè*, non minus ac Calvinus, *in opere Domini* verſentur! Exemplum ſiſtit

NUMISMA ARGENTEUM, SYNODUM DORDRACENSEM ADUMBRANS.



In adverſa, inquit NEARISTOZETUS, Synodi conſeſſus cernitur: in averſa autem Templum monti impoſitum, ſupra quod radiat יהוה. Montem autem quatuor ex partibus afflant venti. Synodus inſcribitur: ASSERTA RELIGIONE; Templum autem Monti impoſitum: ERUNT UT MONS SION. CIↃ IↃCXIX. Quid hæc ſibi volunt? neque enim omninò intelligo. Sat aperta res erit, reſpondit DULODORUS, ſi cogites Batavos, ad controverſias inter Reformatos & Arminianos, qui heterodoxis ſuis opinionibus Eccleſiam turbabant, anno 1619. Dordraci Synodum indixiſſe, eòque miſſos non tantùm Statuum & Provinciarum Unitarum, ſed & Angliæ, Palatinatûs, Haſſiæ, Helvetiorum, imò & Genevenſium, Bremenſium, & Embdenſium Theologos, qui unanimi conſenſu dogmata Arminii damnârunt, Calvinique placita de Prædeſtinatione, de Redemtione, de Vocatione, Converſione, & Perſeverantiâ (nam hæc capita præcipuè controverſa fuére) aſſeruerunt: id quod latiùs doceri poteris, ſi Acta ejus Synodi, quæ vulgò proſtant, paulò intentius luſtrare dignaberis. Hæc adverſæ lucem affundunt, excepit NEARISTOZETUS. Quid autem averſa? An Mons in ea expreſſus, Montem Sion repræſentat? Non alium, reſpondit DULODORUS; At myſtico ſenſu, inquit NEARISTOZETUS, Mons Sion etiam pro Eccleſia Dei Orthodoxa ſumitur. Imò & pro Cœtu Fidelium, ut Pſ. 51. v. 20. Pſ. 69. v. 36. Pſ. 97. v. 8. Pſ. 129. v. 5. & aliis plurimis in locis: Non malè, reſpondit DULODORUS, indeque monti huic templum impoſitum crediderim, irradiante Jehova, quòd Jehova in Monte Sion crederetur habitare, docente Pſ. 68. v. 37. Pſ. 74. v. 3. Imò quòd & Jeſaias cap. 18. v. 7. in Monte Sion Nomen Domini Zebaoth teſtetur fuiſſe; Sed hæc Theologorum meſſis eſt. Imò & noſtra, excepit NEARISTOZETUS; Si enim hoc ita ſit, quomodo conveniet Lemma Monti uni impoſitum, & tamen in plurali conceptum? ERUNT SICUT MONS SION. Non de monte, reſpondit DULODORUS, ſed de fidelibus hoc intelligendum. An de Synodi membris? perrexit NEARISTOZETUS, qui in averſa conſident, ſeque nullis opinionum contrariarum flatibus,

à vera

à verâ fide dimoveri patiuntur? Hæc opinio, reſpondit DULODORUS, veritati propior foret, quàm Authoris Libri, qui *la Hollande Metallique* inſcribitur. Quid ille ſentit? ſubjecit NEARISTOZETUS: *Les Vents*, inquit, *ſont les Novateurs, qui s'efforcent en vain de troubler l'Eſtat, piusques les Provinces unies ſunt fermes dans leur Religion.* An hoc malè? At ſub Ventis Novatores & ipſe intellexerim. An Novatores, reſpondit DULODORUS, an Novatorum dogmata? perinde eſt; peccata enim non in his, ſed in ſequentibus verbis agnoſco. I. Enim Provinciis Unitis tribuitur, quod etiam aliorum, Anglorum ſcilicet, Palatinorum, Haſſorum, Helvetiorum, Genevenſium, Bremenſium, & Emdenſium erat. II. De Statu aſſeritur, quod Doctrinam tangebat. Cæterùm etiam ad Tuam opinionem eſt, quod moneam. Non video, quid poſſis? regeſſit NEARISTOZETUS. Id, reſpondit DULODORUS, quod emblematis ratio poſtulat: ſcilicet ſenſu Myſticò quidem membra Synodi, in adverſa expreſſæ intelligi, apertò autem, figuram in averſa quærendam eſſe. At, inquit NEARISTOZETUS, Lemma in plurali conceptum eſt, cùm tamen unus tantùm mons, unicum ei impoſitum Templum, unicumque Jehovæ Nomen ei ſubjectum ſit? neque enim arbitror, id ventis applicabis, cùm hi apertè Doctrinas Arminii, earumque propugnatores denotent? Hoc benè, inquit DULODORUS; at annon vides per ſemitam, montem, verſus Templum, aſcendentes? video, inquit NEARISTOZETUS. Hi ſunt, reſpondit DULODORUS, de quibus aperto ſenſu Lemma ſumendum eſt: *Erunt ut mons Sion.* Sed quinam illi? excepit NEARISTOZETUS. Explicat Pſalmiſta, reſpondit DULODORUS, Pſalmo 125. v. 1. ſeq. *Qui ſperant in Domino*, inquit, *ſunt ut mons Sion, qui non movetur, ſed æternum manet.* Hic ſanè locus non tantùm docet, de quibus Lemma ſumendum; ſed & undè ſumtum ſit? cùmque qui ſperant in Domino, univerſam Eccleſiam Dei conſtituant, eò apertius eſt, utrâque in Numiſmatis facie Eccleſiæ Orthodoxæ typum adumbrari, non quidem quoad ſtatum externum, ſed internum: quod inde patet, quòd Doctrinas, non Politiam Eccleſiæ, contra Novatores Synodus aſſeruit. Sed aliud promptitudinis & ſinceritatis in opere Domini teſtimonium perhibet.

NUMISMA ARGENTEUM PRIMO LAPIDI TEMPLI EVANGELICO-LUTHERANI HEIDELBERGÆ INCLUSUM.




Heidel-

Heidelbergæ? inquit NEARISTOZETUS. Ita eſt, reſpondit DULODORUS, & quidem AUSPICIIS AUGUSTIS, & juſſu Principis Electoris CAROLI LUDOVICI, & CAROLI Filii, PRINCIPIS JUVENTUTIS. At, excepit NEARISTOZETUS, niſi fallor, ſub Electore PHILIPPO WILHELMO, & qui nunc Palatinatum poſſidet, JOHANNE WILHELMO, Cives Confeſſionis Auguſtanæ, qui hìc PRIMUM LAPIDEM poſuiſſe, ÆDEMQUE D. O. M. SACRAM. SUO. ET. PIORUM. ÆRE. EX. FUNDAMentis. EXSTRUXiſſe, dicuntur, duritiem Electorum, *Caroli Ludovici*, & *Caroli*, accuſarunt, quòd templa iis in Palatinatu exſtruenda negaſſent. Quo jure? quàve veritatis ſaltem ſpecie hoc fecerint? reſpondit DULODORUS, vel propoſitum Numiſma teſtatur; Quò ſuô commodò? teſtabitur exitus. Qui rem ſincerè dijudicat, facilè videbit, cum Auguſtanæ confeſſionis aſſeclis in Palatinatu eandem ludi fabulam, quàm Lupi cum Canibus egerunt. Et quænam illa eſt? excepit NEARISTOZETUS. Decreverant Lupi, reſpondit DULODORUS, Canes omnes, cujuscunque etiam coloris eſſent, funditùs extirpare: jamque in aciem progreſſi, cùm Canes ſecundum colores in Legiones diviſos, cernerent, numeroque & viribus ſe longè potentiores judicarent, ad eos, qui ſibi colore ſimiliores videbantur, Legatos miſere, qui oſtenſis genealogiarum tabulis, & ſimulatò verborum honore iis perſuaſerunt, ſolos eos genuinos, ſibique genere quàm proximos, reliquos autem ſpurios eſſe, idque vel ſimilitudine coloris dignoſci; Proindè ſocietatem ſecum jungerent, quam ſanguis poſcat, & ad ſpurios illos communi ſecum operâ debellandos, progrederentur. Cupidè hæc audiit Cinerea Canum natio, quæ aliàs non ſatis æquò animô tulerat, quòd ſibi exercitûs Imperator non primas detuliſſet; nam ſiniſtrum cornu iis aſſignaverat. Igitur potentiâ Luporum, fucatisque Legatorum rationibus perſuaſa, in caſtra eorum tranſiit, junctisque ita viribus reliquos canes, horum perfidiâ debilitatos, facilè debellarunt. Quid autem fit? dum adhuc pæana canunt, Lupi latratibus offenſi, ſociis his ſuis quæſtionem generis movent: Et licèt hi etiam ululatum imitarentur, tamen quod urbes relinquere, & cum lupis ſylvas habitare nollent, non amplius agnati, ſed hoſtes judicati ſunt, nec quicquam præter beneficium ordinis ſtultitiæ ſuæ præmium reportârunt; deſtituti enim, quos everterant, Canum reliquorum auxiliô, & ipſi rabiei facillimè ſuccubuére. Apologus hic, inquit NEARISTOZETUS, obſcurus non eſt, & idem, proh dolor! non in Palatinatu tantùm, ſed & alibi: non in Eccleſiaſticis tantùm, ſed & Civilibus agitur; Et tamen hominum cæcitas tanta eſt, ut ſpecioſis rationibus quotidiè adhuc in tranſverſum rapiantur. Eò magis laudandi, reſpondit DULODORUS, qui diſſidentes conciliare, pacemque adeò & concordiam omni conatu promovendam cenſent, id quod & Elector Palatinus CAROLUS LUDOVICUS, exſtructô Fridericopoli Concordiæ templô intendit. Ecce eam in rem

NUMISMA AUREUM.

EX AURO RHENANO PALATINO LX. DUCATORUM PRIMO LAPIDI TEMPLI CONCORDIÆ INCLUSUM EOQUE EVERSO EX RUDERIBUS RURSUS ERUTUM.



Inſcriptionem hoc continet, inquit NEARISTOZETUS, non minus ac ſuperius, & quidem ſatis Laconicè conceptam. Stylum Electoris adumbrat, reſpondit DULODORUS, ex cujus calamo fluxit. CAROLI LUDOVICI, Principis non genere tantùm Regio, ſed & eruditione & prudentiâ celſiſſimi. Ejus Gloria perſtat, ſubjecit NEARISTOZETUS, licet non exiguis malignioris fortunæ fluctibus, & per totam vitam, & poſt mortem, jactata. Sed age! an rectâ viâ proceſſit Princeps tantæ prudentiæ, Templum Concordiæ ſacrando? nam ſcio Te ab ejus tunc famulatu fuiſſe. Rem ſanè aggreſſus vulgò dicitur, & Eccleſiæ Proteſtantium perniciofam, & ſuis viribus majorem. Poſteriùs, reſpondit DULODORUS, eventus docuit: Prius ex malevolorum calumniis Te hauſiſſe arbitror. Ego ſanè inſtitutum ut culpem, adduci non poſſum. Potiùs optarem, ut quod ille intendit, adhuc perficeretur. Ut concordia Religionum ſanciatur? excepit NEARISTOZETUS. Non hoc, reſpondit DULODORUS; ſed concordia hominum, diverſis Religionibus viventium. Illa Confuſionem Doctrinarum includit, adeòque ſine præjudicio ſanciri nequit; ſed hæc cuique fundamenta Religionis relinquit, exteriora tantùm, & quæ citra fundamentorum concuſſionem tolli poſſunt, complanando. Hoc CAROLI LUDOVICI propoſitum fuit, probavitque rem vel maximis Eccleſiæ, etiam Evangelico-Lutheranæ, luminibus, quorum haud pauci vel ſanguine ſuò ſe eam juvaturos profeſſi ſunt, agnoſcentes videlicet, magnum diſcordiarum fomitem eſſe differentias ceremoniarum & cultus externi; His enim vulgus tantùm non unicè ducitur. Religionis fundamenta rarò intelligit. Hoc equidem negari non poteſt, excepit NEARISTOZETUS, valdè autem timeo, ut quisquam Principum talem concordiam etiam inter Proteſtantes ſancire poſſit, niſi fortè obturatâ, de qua ſuprà diximus, lucri ſcaturigine, ſed noſtrum de his judicium non requiritur. Ad Numiſma tranſeo. Literas in inſcriptionis principio D. O. M. A. video, ſed eas non omninò capio. *Deo Optimo Maximo Æterno* legendas arbitror, inquit DULODORUS, Deus

Deus enim *Optimus*, idemque & *Maximus* eſt, quòd velit & poſſit juvare, ut de Jove ſuo dixére Gentiles; ſed idem eſt & *æternus*, eòque a Diis Gentilium diſtinguitur, qui æterni non ſunt, ſed ut ex vano Hominum errore confićti, ita & dudum cum omni ſuo cultu exſtincti. Hoc veriſimiliter, excepit NEARISTOZETUS; ſed illud non placet, quòd Concordia *Diva* cognominatur: DIVÆ HOC CONCORDIÆ MONUMENTUM. Quid? annon hoc Ethnicismum ſapit, quo Concordia *Dea* credita eſt? Nullò modò, reſpondit DULODORUS. *Divus* Chriſtianis nihil aliud ſignificat, quam *ſanctum* aut *beatum*: *ſanctam* autem, Concordiam quis appellare metueret? Quis *ſacram*, ædem ejus monumentum non agnoſceret? Sit hoc ita, excepit NEARISTOZETUS. Quid autem additur PERPETUÆ SECURITATI? Id ideò, reſpondit DULODORUS, quòd ubi concordia regnat, ibi ſecuritas firmatur. Id ſanè intendit Symbolum Belgarum:

CONCORDIA RES PARVÆ CRESCUNT.

Sed hoc mihi non tam placet, quàm placent ſequentia: DE. SUO. ET. IN. SUO. PRO. SUI. DIMIDIO. SE. TOTO. SUIS. Q. VOVENS. EXSTRUXIT. Hæc non intelligo, ſubjecit NEARISTOZETUS. Intelliges, reſpondit DULODORUS, ſi conſideres, Templum hoc Concordiæ, ſanctiſſimum Principem ſuis ſumtibus, adeòque DE SUO: imo & in Munimento ſuo Manheimenſi Palatino, adeòque IN SUO exſtruxiſſe: Raugraviam porrò Palatinam, maritali formâ ſibi junctam, eòdem tempore hujus in templi fundamentis fuiſſe ſepultam, quàm proindè SUI DIMIDIUM appellat, & pro qua non minus, ac SE TOTO, SUISQUE, Concordiæ hoc templum Quietorium videtur deſtinaſſe, aut minimùm voviſſe; quanquam & hic eventus votum interceperit: Ipſe Heidelbergam avectus, Majoribus ſuis additus eſt, ſequente poſt quinquennium & filio, pientiſſimo Electore CAROLO, quorum tamen exuviæ, non minus ac Rawgraviæ, rabie militari rurſus extractæ, &, proh nefas! contumelioſè habitæ ſunt. Etiam Numiſma hoc, excepit NEARISTOZETUS, ex Templi ruderibus extractum, ab initio dixiſti; ſed velim doceas, an hoc id ipſum ſit, quod Elector primo Lapidi incluſit? & à quo rurſus extractum? tandemque, quòmodo in Cimeliarchium Regio-Elect. Brandenburgicum pervenerit? Id facilè potero, reſpondit DULODORUS; Idem ipſum hoc eſſe, quod CAROLUS LUDOVICUS primo lapidi incluſit, certâ fide aſſerere auſim; Ex auro enim Palatino Rhenano, vix niſi ad ejusmodi ſolennitates Numiſmata percutiebantur: Et Ego tunc præſens glorioſiſſimum Electorem hoc ipſum, cum ſimili argenteo, quod & ipſum in Cimeliarchium Regio-Elect. Brandenburgicum ſimul tranſiit, additis inſuper ſacris Bibliis, duobusque Vini, albi & rubri, guttis vitreis, inter ipſa fundationis ſolennia, primo lapidi includentem, his meis oculis aſpexi: vertentibus fatis, templòque hoſtili rabie everſò, GOEBZARDUS, nobilis Luxenburgicus, Pater Guardianus Capuzinorum Cœnobii Manheimenſis, ex ruderum fundamentis Numiſmata rurſus eruit, & à Moderno ELECTORE PALATINO, cui ea obtulerat, ſibi donata ſervavit, donec deſertâ tandem Religione Romano-Catholicâ Reformatam publicè profeſſus eſſet; Tunc enim REGI PRUSSIÆ & ELECTORI BRANDENBURGICO, cujus tutelæ ſe commiſerat, Cimeliarchio Regio inſerenda, pretiò & metalli & raritatis receptò, tradidit. Res digna ingeniorum criſi! exclamavit, neſcio quò raptu vaticinans NEARISTOZETUS, digna & ſpe Palatinâ, & Religionis noſtræ fiduciâ!

ADVERTITE. MORTALES.
CONCORDIÆ. ET. PACIS.
IN. ECCLESIASTICIS. CONSTITUENDÆ. MONUMENTUM. CERNITIS.
UTINAM. ID. FELICITATIS. ÆTERNA. BENIGNITAS. NOBIS. INDULGERET.
ELECTOR. RELIGIONIS. REFORMATÆ.
ID. POSUERAT.
A. REFORMATIS. URGETUR. PAX. INTENDITUR. CONCORDIA.
ROMANO. CATHOLICUS. SACERDOS.
EX. TERRA. ERUIT.
SUÆQUE. CONFESSIONIS. ELECTORI. OBTULIT.
UTINAM.
ROMANÆ. SEDIS. ASSECLÆ.
REFORMATÆ. FIDEI. SINCERITATEM.
ERUERENT.
PRINCIPIBUSQUE. SUIS. TRADERENT.
TUNC. NEC. TANTA. IN. INNOCENTES. RABIES.
NEC. TANTA. PASSIM. MENTIUM. FORET. CALIGO.
VIAM. MONSTRAVIT.
PATER. GUARDIANUS. CAPUZINORUM.
QUI. FUNDAMENTA. TEMPLI. REFORMATI. ET. PACIFICI. SCRUTATUS.
FUERAT.
SCRUTATUS. EST. ET. FUNDAMENTA. REFORMATÆ. RELIGIONIS.
FACTUSQUE. EST.
EX. SAULO. PAULUS.
EX. PERSECUTORE. PURIORIS. FIDEI. DOCTOR.
IMITANDO. EXEMPLO.
OMNIBUS.
SED. IIS. PRÆSERTIM.
QUOS.
SUMMUS. RERUM. ARBITER.
POPULIS. SUIS. PRÆESSE. VOLUIT.
NEMO. DESPERET.
EX. SYMBOLO. FUNDATORIS.
DOMINUS. PROVIDEBIT.
FRIDERICO.
REGI. PRUSSIÆ.
NUMISMA. OBLATUM. EST.
NON. SINE. NUMINE. ID. FACTUM.

QUID.

QUID. SI.
CONCORDIAM. ET. PACEM. ECCLESIÆ.
QUAM. ELECTOR. RELIGIONIS. REFORMATÆ. INTENDERAT.
QUAMQUE. ROMANO-CATHOLICI. HACTENUS. CONTURBANT.
PALATINATUI. RESTITUENDAM.
REGI. HUIC. RELIGIONIS. REFORMATÆ.
REGI. HUIC. ET. NOMINE. ET. FACTIS. PACIFICO.
DIVINA. MAJESTAS. SIMUL. COMMENDAVERIT.

RESURGE.
RELIGIO. PURIOR.
BENE. SPERATE.
PALATINÆ. ECCLESIÆ.

DEUS. VESTRAM. CAUSAM. RESPICIT.
PRESSA. EST. IN. PALATINATU. VERITAS.
SED. NON. OPPRESSA.
PERSECUTORIS. CONVERSIONE. RESPLENDET.
REGIÆ. MAJESTATIS. PRÆSIDIO. ERIGITUR.
DIVINÆ. VOLUNTATIS. AUGURIO. FIRMATUR.
JUNGAMUS. VOTORUM. SUSPIRIA.
NIL. DESPERANDUM. JOVA. DUCE. ET. AUSPICE. JOVA.

Hæc cùm insolitò sibi fervore NEARISTOZETUS perorasset, tanquam re benè actâ sibi insigniter videbatur placere; at DULODORUS: Hæc quidem satis ingeniosè, inquit, protulisti; sed vereor, ut cum effectu: Paulus enim, quem prædicas, se nuper subduxit, & fortassis rursus in Saulum degeneravit, adeò ut pessimum is exemplum præbeat. Ego post Deum in notissima ELECTORIS PALATINI, Principis undiquaque gloriosissimi, æquitate confido. Hunc ut Patriæ meæ Dominum, meorumque protectorem in his terris veneror; ita non dubito, quin innocentiâ Protestantium perspectâ, non habitâ Calumniarum ratione, securitatem Religioni nostræ perpetuam sit & concessurus & defensurus. Id ex Voto sperantes, producimus &

NUMISMA ARGENTEUM TEMPLI CONCORDIÆ PALATINI CONSECRATIONEM CONTINENS.





Templi Symmetria, excepit NEARISTOZETUS, ad noviſſimas Architecturæ leges expreſſa eſt; indeque nec dubium, quin & internâ venuſtate ſe commendaverit. Internam venuſtatem, ſubjecit DULODORUS, non abs re præſumis; totum enim venuſtiſſimè erat depictum. In vertice Angelos oſtentabat, inſignia Electoralia Palatina & portantes, & quaſi cœlo inferentes. Reliquorum non amplius recordor, niſi quòd arte pictoriâ, an opticâ? Laqueare concavâ convexitate aſſurgere videbatur, quod tamen planâ tabularum connexione conſtabat. Hæc, inquit NEARISTOZETUS, in Nummo videri non poſſunt; Mihi autem, ut verum fatear, Elector CAROLUS LUDOVICUS, utut alias Prudentiâ per orbem ſtupendâ celebris, tamen hoc in Concordiæ negotio, latiùs carbaſa ſua videtur tetendiſſe; Crucem video turri impoſitam, imò & Cruces tres, Quadrato, cui & ipſi Crux inſerta eſt, in figuram Crucis affixas? Quid hoc? Annon idem, quod mihi dictum eſt, hoc in Conſecrationis actu, non tantùm Evangelico-Reformatos & Lutheranos, ſed & Romano-Catholicos concionatos eſſe? Præſens fui, inquit DULODORUS, audivique ſacerdotem Romano-Catholicum, non quidem *concionantem*, ſed *Concordiæ futuræ*, voce ſatis ſtentoreâ, *applaudentem*. An hoc Conſecrationis actum contaminare potuerit, neſcio. Optandum ſanè cenſerem, ut Concordia inter Evangelicos tam arcta coaleſceret, ut & Romano-Catholici, ejus ſanctitate convicti, in applauſum exſurgerent. Quod de Crucibus moves, ejusdem ſignificationis arbitror. Crux non tantùm Romano-Catholicorum, ſed omnium ſymbolum eſt, qui Chriſto crucifixo nomen dedére. Hinc patet, Cruce mediâ intra Quadratum, ipſum *Chriſtum crucifixum*, in quatuor Evangeliſtarum Libris conſpicuum adumbrari: Patet, Crucibus Quadrato in Crucis figuram affixis ternas Religiones Chriſtianorum præcipuas notari, monerique, ut Chriſto ſuo adhæreant per dogmata quatuor Evangeliſtarum: humanas traditiones amoveant: Sola Chriſti dogmata amplectantur, tantâque adeò inter ſe concordiâ coaleſcant, ut una fides omnium videatur, prout una Crux, omnium harum Crucium compages.

Eleganter hæc explicas, inquit NEARISTOZETUS; Sed eòdem conatu etiam Electori impingis, quod ejus famam haud mediocriter jam tunc læſit: à Papiſtis videlicet eum alienum non fuiſſe. Imo alieniſſimus, reſpondit DULODORUS. Diſtinguebat Sapientiſſimus Princeps, inter *Papiſtas* & *Romano-Catholicos* Illos ſummo odio proſequebatur. Hos autem, ut & reliquos in Religione diſſentientes, tolerandos imò & favore alliciendos cenſuit. Non video, quid velis? excepit NEARISTOZETUS. Annon *Papiſtæ* & *Romano-Catholici* iidem ſunt? Ex mente Electoris, reſpondit DULODORUS, non dixeris. *Papiſtæ* ſunt, qui Papæ in Eccleſia dominatum & agnoſcunt & fulciunt; *Romano-Catholici*, qui dogmata profitentur. Et quot inter hos ſunt, qui Dominatum Papæ averſantur? Hic temporalia concernit, quæ penes Principes eſſe deberent, illa Spiritualia, quæ penes Deum ſunt, qui ſibi ſoli in mentes hominum poteſtatem reſervavit. Tranſeant, inquit NEARISTOZETUS, Mihi de Concordia quærere libet, cui templum conſecratum dicitur, an *Sancta* hæc, an *Sacra* dicatur? Si ſacram diceret, reſpondit DULODORUS, ambiguitate locutio non careret, ideò *Sancta* præferrem; *Sancta* enim dicitur, vel quòd ſanctionibus, ne turbetur, cautum ſit: vel quòd pura debeat eſſe, & nulla fucatarum mentium labe infecta. Et hoc eſt, quod etiam averſa videtur innuere. Ex Nummis Auguſti hæc deſumta eſt, in quibus Conſecrationem, ſive Deificationem, ipſius

Impe-

Imperatoris indicat: *Arâ* videlicet *expreſſâ*, quòd deinceps ut Deus colendus fuerit: *Aquilâ affictâ*, quòd Aquila animam ejus in cælum portaſſe credita ſit: *Impoſitoque fulmine*, quòd Jovis inſtar & coli, & ſacris ſuis adeſſe, etiam Deus voluerit.

Riſit NEARISTOZETUS, & quæsò DULODORE! inquit quò recidit decantata tanti Principis ſapientia? Qui modò Romano-Catholicis ſavit, nonne is ipſe etiam Ethnicorum deliria ſacris miſcuit? Si corticem reſpicias, reſpondit DULODORUS, forſitan ita judicabis. Sed mihi longè alia mens eſt. Miror Ego profundiſſimum *tanti Principis* acumen, quòd etiam ex Carduis Mella traxerit, Ethnicorumque deliria ſenſu, Chriſtianâ pietate digniſſimo, donaverit. Conſecrationem hîc non *Viri*, ſed *Templi* indicari, averſæ templum extra dubium ponit: cùmque Emblematum ratio duplex, Lemmaque averſæ de utraque Numiſmatis parte intelligendum ſit, apertum eſt, vocem CONSECRATIO tàm de Ara, quàm de Templo ſumi debere, proindeque utrumque S. Concordiæ conſecratum eſſe. Aris, excepit NEARISTOZETUS, Reformati non utuntur. Quid tum? reſpondit DULODORUS: At nec earum uſum damnant? Minimum non damnavit CAROLUS LUDOVICUS, quem *in ejusmodi* ἀδιαφόροις *nimis nos Reformatos eſſe* non ſemel dixiſſe memini, ſimul enim cum his pietatem ex vulgi animis amotam eſſe. Imò & illud ejus dictum recordor: *Malè Lutherum Principibus omnia Eccleſiaſticorum bona ceſſiſſe. Minimum Abbatiam vel Epiſcopatum eum retinere debuiſſe, ut major inter Proteſtantes diſciplinæ Eccleſiaſticæ authoritas eſſet. Multum hoc ad pietatem profuturum:* adeò ut mirari adeò non debeas, Aram in hoc Numiſmate expreſſam eſſe; Ara enim Religionis ſymbolum eſt, non tantùm apud Evangelico-Lutheranos & Catholicos, ſed etiam apud Reformatos, ut ex vulgari illo conſtat: *Pro aris & focis.* At, inquit NEARISTOZETUS, quid *fulmen* aræ impoſitum? quid *aquila* eidem affìcta? Aquila, reſpondit DULODORUS, avis Regia eſt, Aræ igitur ideò affìcta credi debet, ut innuatur, cuſtodiam & defenſionem Religionis, & concordiam ejus aſſeclarum, penes Reges & Principes eſſe. *Fulmen* Vires Regias adumbrat: Aræ igitur incumbit, ut has religione & concordiâ, ſignificetur, non tantùm niti, ſed & potentiores eſſe. Si hæc CAROLI LUDOVICI mens fuerit, excepit NEARISTOZETUS, Ego ſanè ejus ſapientiam æternitate digniſſimam judicarem, ſed age! Quid de nominibus *Calvinianorum*, *Lutheranorum*, & *Papicolarum* judicavit? Abolenda hæc cenſuit, reſpondit DULODORUS, quòd & ipſa multum ad diſcordiam conferrent. Scilicet ajebat, ſi plures Calvinianos, plures Lutheranos, & plures Romano-Catholicos, quoscunque ſeparatim per omnia Religionis ſuæ capita examines, paucos invenies in omnibus ſibi conſona credentes: Et tamen, quia ſub uno, vel *Calvinianorum*, vel *Lutheranorum*, vel *Papicolarum* nomine militant, ſe invicem diligunt, reliquos autem diverſi nominis perſequuntur. Quidni igitur, ſi abolitis his factionum nominibus, *Chriſtianos* nos appellemus, eadem concordia erit ſperanda, licet fidei dogmata diverſi diverſa profiteantur? Fidei dogmata, addebat, potentiæ Dei ſubjecta eſſe, nec quenquam hominum, utut potentiſſimum, ea cum fructu prohibiturum. *Hæreſes*, ſive diverſas circa fundamentalia fidei capita opiniones, eſſe debere; ſed *ſchiſmata*, ſive diviſiones animorum, & odia, Chriſtianos non decere, vel Apoſtolum judicaſſe: Et hanc, non illam, ſe concordiam intendere.

Finie-

Finierat DULODORUS, cùm undique feſtivi plauſus exorti ſunt, ingentique circa Regiam fragore Machinarum Pyrobolicarum fulmina inſonuére. Obſtupuerunt CONFABULATORES NOSTRI; Tandem, quæcunque, inquit NEARISTOZETUS, rei cauſa ſit, à Sacris ad Profana tranſituris in tempore adeſt: Scilicet ut, convenienti interſtitiò, & à labore quieſcamus, & ad ſequentia eò alacriores redeamus. Dabis igitur veniam, DULODORE, ut lætitiæ publicæ auſcultem. Ubi rediero, & Tibi cauſam pandam, & Numiſmatum contemplationem reſumam. His dictis ſurrexit, & annuente DULODORO, non ſine verborum honore diſceſſit, & in forum properavit.



CORRECTIO SPHALMATUM.

Pag. 4. lin. 28. pro *Romanis* lege *Bonanno.* p. 5. l. 10. *Alexander VI.* l. 15. *CONCISTORIUM.* p. 6. l. 22. *reſtringit.* l. 28. *Legati credantur.* p. 10. l. 17. *divinam.* p. 12. l. 24. *Chriſtierni.* p. 13. l. 12. *Alexandri.* p. 14. l. 16. *Imbris.* p. 15. l. 11. *Majorum.* p. 17. l. 3. ſeq. *LEONIS X. P. M. cum tribus &c.* p. 18. l. 16. *quo maximè.* p. 19. l. 12. *Liberalitate.* p. 20. l 25 *facultatum.* p. 26. l. 21. *angit.* l. 33. *radices.* p. 28. l. 9. *Onuphrio enim teſte.* p. 29. l. 33. *confirmare.* p. 30. l. 10. *conſuluiſſe* p. 31. l. 25. *oblatus.* p. 33. l. ult. *Claſſes.* p. 34. l. 40. *ipſasque.* p. 37. l. 11. *REDACTIS.* p. 38. l. 29. *pendentis.* p. 35. l. ult. *facturum.* p. 36. l. 25. *illos.* l. 33. *obtenta.* l. 43. *DETERIUS.* p. 41. l. 35. *conventu.* p. 42. l. 24. *AUREUM.* p. 47. l. 24. *aliâs.* l. 45. *capacem.* l. penult. *indicabunt.* p. 49. l. 37. *Concitatiores.* p. 52. l. 14. *de urbe.* p. 61. l. 18. *vivificavit.* p. 64. l. 33. *Zodiacus.* p. 67 l. 17. *Armandum.* l. 24. *placitis.* p. 71. l. 19. *reſtituturus.* p. 77. l. 29. *cathedras.* p. 78. l. 6. & 8. *tale.* p. 80. l. 5. *puisques.* Quæ præter hæc occurrunt, Lectoris æquitati commendantur.